This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Henry John Hodgson

UNS 167 c. 6

Vet. Ital. IV B. 20

EX LIBRIS
C. FOLIGNO

4.8

POEMATA SELECTA

ITALORUM,

QUI

SECULO DECIMO SEXTO

LATINE SCRIPSERUNT,

NONNULLIS ADNOTATIONIBUS

ILLUSTRATA.

Fortunata nimis, nimis beata
Nostra tempora, quæ suos Catullos,
Tibullos, et Horatios, suosque
Marones genuere.

FLAMINIUS.

OXONII:
TYPIS SLATTER ET MUNDAY.
LONDINI:
VENEUNT APUD LONGMAN, HURST, REES, ET ORME.
1808.

TAYLOR INSTITUTION
UNIVERSITY
OF
OXFORD
LIBRARY

LECTORI.

De consilii nostri ratione perpauca dicenda habemus. Carminibus deligendis, neque editionem Londini anno MDCLXXXIV. confectam, et ab Alexandro Popio, nonnullis mutatis, denuo typis mandatam, neque aliam hujusmodi ullam, sequuti sumus. Multa illa habet, quæ in nostro opusculo desunt; quorum in locum alia sufficienda curavimus. Quædam fortasse desiderabuntur: sed brevi spatio cuncta includi nequeunt; et satis promisso nostro ac recepto factum esse arbitramur, si, quæ delecta sunt carmina, inter optima numerantur. Nonnulli haud paucis aucti prodeunt, Naugerius inprimis, et Flaminius. Archius vero, Capilupus, Bonfadius, Muretus, digni sunt prorsus, qui in contubernium poetarum elegantium adsumantur. Decimum sextum extra seculum minime egredimur; ne quis Poli-

tianum, Pontanum, Crinitum, aliosque requirat.

Ceterum, ut poetæ melius intelligi possent, notas ad calcem operis subjunximus, hinc illinc ex libris, qui nobis ad manus erant, progrediente typographorum opera, maximam partem excerptis. Qua in re nimii fortasse nonnullis videbimur; at contrarii etiam vitii alii nos reos citabunt; haud enim omnia vel magna diligentia investigare potuimus. Vitæ autem poetarum quam brevissime, scriptorum variorum ope, initio operis exponuntur.

VITÆ POETARUM

BREVITER EXPOSITÆ.

SANNAZARIUS.

JACOBUS Sannazarius Neapoli natus est anno 1458. A Juliano Maio, celebri eo tempore ludimagistro, Latinis Græcisque literis diligenter imbutus est. Pontanum postea habuit præceptorem; qui Actium Syncerum eum nominavit. Quum igitur ad eximiam ingenii suavitatem eas artes adjunxisset adolescens, quæ duros etiam et agrestes homines mollire ac mitigare consueverunt, incidit in amorem formosissimæ puellæ, nobili genere ortæ, quam Carmosinam Bonifaciam appellabant. Ut autem omnis ejusmodi amor anxius et sollicitus est, variasque animis perturbationes afferre solet, Sannazarius noctes atque dies miserrime afflictabatur. In tanta igitur acerbitate postremum illud adolescenti perfugium relinquebatur, plenis querelarum carminibus modo levitatem suam, modo fortunæ vim atque imperium accusare; quod quidem egregie præstitit magno breviorum poematum numero, hac recentiori Italica lingua scriptorum, quæ maxime

omnium Latino epigrammati respondere existimantur. Quo in genere ita excelluit, ut scriptores fere omnes, quicunque a Francisci Petrarchæ obitu usque ad sua tempora lyricam Italorum poesim excoluerant, de gloriæ possessione deturbaverit. Quum itaque ejus ingenii fama, quæ per omnium fere civium aures pervaserat, in domum Ferdinandi regis pervenisset, Federicus regis filius natu minor, juvenis poetarum studiis mirifice deditus, eum ad se cupide arcessitum, tectis ac sedibus suis recepit, præcipuaque benevolentia prosecutus, in intimis et familiarissimis semper habuit. Ob eandem ingenii præstantiam, Ferdinando regi, et Alfonso Calabriæ duci familiaris factus est. Hunc porro imperatoria laude florentem bello Etrusco secutus, in ejus exercitu militavit. Comitem etiam illi se præbuit ad Hydruntum recipiendum, fugandosque Turcas, qui oppidum illud suis præsidiis occupaverant. Mox quum Ferdinandus pro Hercule Ferrariensi duce, socer nimirum pro genero, contra Sixtum Pontificem ejusque fœderatos arma cepisset, idem Alfonsus ad Nomenti Tiburisque expugnationem Sannazarium secum duxit. Si quid autem poetæ sub ipsis pellibus otii relinquebatur, id totum in scribendis epigrammatis consumebat: ita bellicam laudem cum literarum studiis conjunxit. Quum ad Federicum omnis potestas

translata esset, is Sannazario pensionem largitus est, rus item suburbanum, in Pausilypi montis latere situm, cui nomen est Mergilline. Otiosam tamen et quietam ætatem sine periculis et laboribus ei diu agere non licuit; etenim quadriennio post Ludovicus, qui e ducè Aurelianensi rex Gallia in locum Caroli creatus fuerat, et Ferdinandus Hispaniæ rex, Alexandro Pontifice Maximo suadente, contra Federicum conjurationem fecere, ut eum communibus copiis regno pellerent. Oppressus itaque hostium viribus Federicus, ac regni possessione spoliatus, in Galliam ad Ludovicum abiit. Eo casu præclarissimum fidei constantiæque exemplum a Sannazario proditum est. Nam quum pauci omnino regem in exilium secuti essent, et ex his quoque nonnulli, eo relicto, domum rediissent, ipse ab ejus latere nunquam decessit, cumque eo tamdiu fuit, dum ille curis ac mœrore confectus mortem oppeteret. Jam omnibus pietatis officiis diligentissime persolutis, quum patriæ desiderio teneretur, Neapolim rediit. Non est autem silentio prætereundum, vetustissimos codices a Syncero e Gallia in Italiam fuisse allatos. Neapoli Joannam reginam præcipue coluit. Quum autem regia in domo assidue versaretur, Cassandræ Marchesiæ, ingenio ac forma præcellentis puellæ, amore captus est. Sed ætatem eam jam

prætergressus, quæ maxime libidinum imperio subjecta est, veterum Platonicorum more, ea tantummodo puellæ præstabat officia, quæ virtuti nihil officere posse viderentur. Multorum amicitiis floruit, qui eodem studio literarum, veritatis, et constantiæ tenebantur. Quos autem semel in amicitiam recepisset, iis usque ad extremum spiritum inviolatam fidem servavit; neque unquam commisit, ut aut beneficiorum oblitus, aut in difficultatibus periculisque amicorum lentus ac negligens videri posset. Mortuus est anno 1530.—*E Sannaz. vit. a J. Ant. Vulpio conscripta.*

CASTILIONIUS.

Balthasar Castilionius in pago Casatico agri Mantuani natus est 1468. Vir fuit omnium admiratione dignissimus. Eximiis animi virtutibus ac bellicæ fortitudini studia literarum ita conjunxit, ut æque scriptis gestisque immortalem sibi famam pepererit. Summorum Principum atque Pontificum Romanorum legationibus sæpe fideliter ac prudentissime perfunctus est, carus omnibus, ab iisque divitiis et honoribus cumulatus. Militaribus et politicis Principum negotiis assidue occupatus, non multa quidam scripsit, sed digna tamen, quæ perpetuo legantur.

Eum in Elegia Propertio prætulit Scaliger in Hypercritico. Propter Italicos ejus Rythmos magni poetæ nomen adeptus est. Nec interim minus soluta oratione excelluit, sive in Epistolis, sive in aureo volumine, quod de instituendis regum familiaribus edidit, præfixo titulo *Del Cortigiano. Musæum Mazzuchellianum, T.* 1. *p.* 192. Minime attinet referre quanto in pretio habuerit Leo Castilionium, quem vel ab adolescentia singularibus beneficiis sibi obstrinxerat, et quocum affinitatem conjungere concupierat. Extant enim litteræ Leonis ipsius ad illum, quibus, postquam laudavit egregias et præclaras ejusdem virtutes, et singularem pietatem et cultum, quem sibi omni tempore præstiterat, confirmavit donum, quod is acceperat ab Urbinatium duce, Nubillariæ castellum, quod est in agro Pisaurensi, multo etiam majora, si se occasio dedisset, se eidem largiturum promittens. In illo apparatissimo spectaculo, quo Carolus V. Cæsar Aquis Grani corona donatus est, adfuit et Castilionius Pontificis nomine, quantoque studio is tum, atque antea, in Hispania et in Belgio, ejusdem negotia tractaverit, ipsius ad Julium Mediceum et Bernardum Dovitium Cardinales litteræ declarant. Tantum sane gratia poterat apud Leonem, tanta erat dexteritate in administrandis negotiis, ut, cum ad eum anno 1519 missus fuisset

a Friderico Gonzaga Mantuæ Marchione, qui odium, in quod incurrerat ejus pater Franciscus Urbinatium rerum causa, a se avertere exoptabat, non solum omni culpa liberaverit, sed etiam imperium copiarum tum Pontificis, tum Reipublicæ Florentinæ, eidem impetraverit. Fama quoque fuit, cogitasse Leonem de Castilionio in Cardinalium collegium cooptando, et cum eo amice conquestum esse, quod, amissa, anno 1520, Hippolyta Taurellia conjuge carissima, statim minime sibi aperuisset animum suum Romanæ Ecclesiæ militandi. Sed post id tempus nullum amplius creavit Cardinalem Leo, nec diu vitam retinuit. Solebat ipse dicere, nunquam se cum Castilionio congressum esse, quin ab eo multa didicisset, nec unquam ejus scripta legisse, quin ejus elegantiam et eruditionem admiratus esset. (*Fabronius in Vita Leonis X. p.* 180.) Diem supremum obiit anno 1529.

BEMBUS.

Petrus Bembus Venetiis natus est anno 1470. Patrem habuit Bernardum, hominem cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clarissimum. Is Florentiam reipublicæ nomine

profectus, Petrum non amplius novem annos natum secum deduxit, omnibusque doctrinis, quibus imbui illâ ætas debet, erudivit. In patriam autem reversus, Joanni Alexandro Urticio eum in disciplinam tradidit. Ab hoc Latinam linguam Petrus didicit, excitatusque est, ut Græcæ operam daret. Itaque Messanam profectus est, ubi eam publice magno cum honore Constantinus Lascaris Byzantius profitebatur. Postea Ferrariæ, Nicolao Leoniceno præceptore usus, ad graviores disciplinas animum appulit. Inde Urbinum profectus ad Guidonem Ubaldum Feretrium ducem, in ea eruditissimis hominibus tunc referta civitate ita vixit, ut omnium sibi amorem benevolentiamque conciliarit. Leo X. Pontifex creatus, priusquam e conclavi exiret, Petrum Bembum et Jacobum Sadoletum sibi ab epistolis adscivit. Cum itaque Pontifici Bembus cumulatissime satisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur. Paulo ante Leonis obitum, Patavium ægrotus petiit, cœli mutandi causa. Incredibile dictu est, quanta animi alacritate, quantaque lætitia, Romanis laboribus curisque liberatus, optatum ad otium studiumque suum vetus sese receperit. In ea vitæ tranquillitate vixit usque ad annum 1539, quo eum Paulus III. purpura ornavit. Is enim faciendum sibi esse existimavit, ut qui quaque in civitate homines essent,

illustri quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude celebrati, illos ultro ipse, eam dignitatem haudquaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam suspicatos, amplissimum in Cardinalium collegium cooptaret. Bembus igitur silvas recessusque suos, in quibus placatam tranquillamque vitam prope omnem traduxisset atque exegisset, crebro appellans, atque identidem respectans, Romam ire perrexit. Ibi cultus est cum a bonis plerisque, Contareno, Sadoleto, Morono, Cortesio, tum vero præcipue a Reginaldo Polo. Cum autem septem et septuaginta fere annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia fortunaque crevisset, decessit Romæ anno 1547. Primus omnium Bembus Italicæ linguæ artem suis tradidit; cujus præcepta ipse longo studio, multaque optime dictorum observatione congesserat, ut grammaticæ artis corpus absolveret. In iis etiam numeratur, qui primi vetustatis reliquias ex marmore et ære, ac præcipue antiqua numismata conquirebant. *Ex Bembi Vita a J. Casa conscripta, ab Apostolo Zeno notis aucta; et Vincentio Alex. Constantio in Sadoleti Epistolarum Editione.*

SADOLETUS.

Jacobus Sadoletus Mutinæ natus est anno 1477. Ferrariæ eum pater iis disciplinis ac literis, quibus puerilis ætas imbui solet, diligenter instituendum curavit. Erant tum in ea urbe omnium liberalium artium magistri ac doctores egregii. In his Nicolaus Leonicenus philosophiam magna cum laude profitebatur; quem Aristotelis libros de moribus publice interpretantem Jacobus audivit. Cum ætate jam aliquantum processisset, et ipsam ætatem virtute ac doctrina longe anteiret, patris consilio Romam se contulit. Referta tum ea urbs erat eruditissimis hominibus, et in omni doctrinæ ac literarum genere præstantissimis. Eos ille omnes celeriter amicitia et consuetudine comprehenderat; ex quo celebre jam ejus nomen, et principibus quoque viris, iis præsertim, qui eisdem studiis delectabantur, notum erat; quorum brevi tempore omnium gratiam sibi et benevolentiam conciliavit. Jam quantopere Sadoletus eo tempore virtutis et eloquentiæ gloria floreret, ex eo facile judicari potest, quod Leo X. acerrimo ingenio et gravissimo judicio princeps, eum et Petrum Bembum ex omni doctorum copia delegit, quorum in conscribendis epistolis opera uteretur. Carpen-

toractis pontificatum adeptus, et rebus divinis procurandis, et vitæ innocentia, et admirabili inprimis quadam in omnes caritate, optimi episcopi munus obiit. Romam invitus rediit, Clemente VII. Pontifice Maximo, qui opera ejus in administranda republica uti voluit. Tantum enim ejus fidei, tantum prudentiæ tribuebat, ut multa, quæ ad Christiani nominis quietem, et ad morum ac disciplinæ publicæ correctionem pertinebant, ejus potissimum admonitu et consilio sibi agenda constitueret. Post triennium Carpentoracte reversus, ad sacrarum literarum studia totum se contulit; nec vero legendo solum, sed commentando etiam et scribendo, tum sibi, tum aliis, prodesse conatus est. A Paulo III. accersitus, Romam denno proficisci coactus est. Etenim is sui pontificatus initio spem atque expectationem omnium mirabiliter erexit; ostendit enim sibi in animo esse, novis legibus solutam sacerdotum disciplinam astringere, et sublatis eis, quæ a superioribus Pontificibus Romanis instituta minus probarentur, sanctiorem gerendi summi Pontificatus rationem instituere. Ejus rei perficiendæ causa a longinquis locis accersivit, quos doctrina, integritate, et prudentia maxime insignes esse intelligebat. Eo tempore Sadoletus, una cum optimis quibusdam et præstantissimis viris, magna bonorum

omnium lætitia et gratulatione in Senatum Romanæ Ecclesiæ delectus est. Negotia et legationes quam maximi momenti, Pauli III. nomine perfecit. Animam Deo reddidit anno 1547. *Ex Sadoleti Vita ab Antonio Florebello conscripta.*

FRACASTORIUS.

Hieronymus Fracastorius Veronæ natus est anno 1483. Patavii literarum studiis incubuit, præceptoremque in philosophicis habuit Petrum Pomponatium Mantuanum. Gravioribus disciplinis in gymnasio Patavino celeriter arreptis, ad medicam artem cognoscendam exercendamque tanta ingenii animique contentione sese convertit, ut doctores ipsi æque ac condiscipuli incitarentur ejus studio, illique admodum adolescenti honorificentissimum publice docendi munus detulerint; quod Patavii ante illum nemini, nisi maturo in studiis et perfectæ demum ætatis viro contigerat. Sed exardescente in ea urbe bello, apud Bartholomæum Livianum Venetarum copiarum imperatorem cum Naugerio aliisque aliquamdiu mansit; Academiamque Forojuliensem ad Portum Naonem institutam suorum carminum splendore illustravit. Secutum

est bellum gestum apud Abduam, in quo Liviano ipso a Gallis victoribus fuso captoque, in patriam Hieronymus sese contulit, ibique præstantissimis editis ingenii monumentis immortalem sibi multiplicis sapientiæ famam comparavit. Fuit enim Fracastorius cum summus poeta, tum egregius philosophus et medicus, accuratissimusque astronomus atque cosmographus. Nam et globulos cœli terrarumque ad astrorum motus locorumque dimensiones noscendas accommodatos mirifice construxit, et plura rerum naturalium arcana in lucem protulit, et medicinam non mediocriter illustravit; quam eo in ægrotos amore, eo lucri contemptu, ea demum felicitate est professus, ut omnium sibi gratiam, ac præsertim principum virorum benevolentiam conciliaverit. Quantum vero in poetica facultate præstiterit, ex hoc facillime potest judicari, quod Jacobus Sannazarius alienæ industriæ laudator cæteroquin parcissimus, lecta coram Hippolyto Mediceo Cardinale, aliisque summis eruditisque viris Fracastorii Syphilide, hunc unum esse confessus sit, a quo non Jovianus modo Pontanus, sed ipsemet quoque in suo de Partu Virginis poemate, viginti amplius annorum lima perpolito, fuerit superatus. Obiit septuagenario major anno 1553. *Vincent. Alex. Constantius, in Sadoleti Epistolarum Editione.*

NAUGERIUS.

Andreas Naugerius Venetiis natus est anno 1483. Quum puer esset, in Latinis literis perdiscendis operæ plurimum studiique consumsit; quas magna famæ celebritate Venetiis docebat M. Antonius Coccius Sabellicus. Patavium postea profectus est; ubi Græcas literas a Marco Musuro Cretensi, qui eas ibi profitebatur, avide arripuit. Morabatur Patavii libentissime; in urbe nimirum ab honorum contentione, civilibusque concertationibus maxime remota; ubi per summum otium ac tranquillitatem in iis artibus versaretur, sine quibus vitam aut nullam, aut sane acerbam putabat. Ipsa etiam cœli aspiratio salubris ac temperata, hortorum, suburbiorum, et Medoaci fluminis amœnitas, opacæ frigidæque per æstatem ambulationes, tum sodalium, qui eodem studiorum causa venerant, consuetudo sermonesque jucundissimi, animum a cura, corpusque a laboribus recreabant. Mirabile est, quam multa veterum scripta, Terentii nimirum, Lucretii, Virgilii, Horatii, Tibulli, Ovidii, Quintiliani, ad incorruptorum Codicum veritatem exegerit; in primis vero M. Tullii Ciceronis monumenta immortalitate dignissima. Usus est autem in emendandis antiquorum libris Aldi Pii

Manutii opera. Patriæ civiumque caritas in eo tanta erat, ut quanquam ab omni ambitione remotissimus esset, idque a natura haberet, ut secessu ac solitudine magis, quam urbano strepitu, delectaretur; nihilominus, quoties Reipublicæ tempora postularent, ejus commodis, quam tranquillitati suæ, inservire mallet. Romæ aliquando commorabatur; ibique Petro Bembo et Jacobo Sadoleto, viris eo tempore omnium eloquentissimis, valde familiariter usus est. Quumque diligens esset scrutator antiquitatis, et in historiis legendis diu multumque versatus, de veterum ædificiorum splendore ac magnitudine ex iis, quæ superessent, ruderibus sagacissime existimabat. Nec leviora studia omnino contemsit; nam de signis et de picturis, et de sonis atque concentibus judicium facere poterat. M. Antonio Sabellico e rebus humanis sublato, Bibliothecæ publicæ custodiendæ munus a senatu Veneto ad Naugerium delatum est, una cum onere Historiæ conscribendæ. Utinam aut ei longior vita suppeditasset, aut abundantiore otio frui licuisset, ut quod inceperat, absolvere et perpolire posset. In Hispaniam legatus missus, susceptam provinciam magno Reipublicæ commodo, et cum summa fidei prudentiæque laude administravit. Domum reverso, alterum ei onus impositum est, ad Franciscum I. legatio; in qua

Naugerius, quum regem adiiset, ab eoque honorifice fuisset exceptus, Blœsio in oppido ad Ligerim de improviso in febrim incidit, et paucis diebus vi morbi consumtus est, anno videlicet 1529, ætatis quadragesimo sexto. *E Naugerii vita, a J. Anton. Vulpio conscripta.*

FLAMINIUS.

Marcus Antonius Flaminius, Forocorneliensis, natus est anno 1498. A prima adolescentia, genitoris sui optimi præceptoris opera, fuit omnibus iis rebus præditus, quibus ea ætas ornari posset, scientia bonarum literarum, suavitate morum, vitæ innocentia atque elegantia. Pater eum, decimum sextum ætatis annum vix supergressum, Romam duxit, anno illo faustissimo, quo Leo X. erga literatos viros benevolus ac munificus princeps, ad summum Pontificatum evectus fuerat. Eruditionem ejus ex literatis opusculis, doctisque responsis conjecit Pontifex, atque adeo fuit admiratus, ut in ejus laudem carmen illud Virgilianum de Ascanio protulerit;

Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra.

Eccellentiores comparandi sibi disciplinas flagrantissimus, Bononiam patre annuente profectus est, ubi Philosophiæ totum se tradidit. Postea

illustriores Italiæ urbes peragravit, quosque sibi similes reperit viros, in perpetuam firmamque amicitiam sibi conjunxit, studiorumque suorum adhibuit socios. Aristotelis libros summa cum voluptate perlegit, præ cæteris autem duodecimum de Prima Philosophia; quo quidem in Latinam linguam verso, obscuras res ita dilucide ac copiose tractavit, ut Aristotelis semper vestigiis inhærens, pure ac ornate, simul pro rerum dignitate, omnia explanaverit. Ubi vero ad sacrarum literarum studia traduxit animum, illis adeo est incensus, ut earum assidua lectione mirifice oblectaretur. Psalterium enim Davidicum ex Hebræo in Latinum vertendum atque explicandum sibi statuit; quod brevi quidem, sed aperta admodum Paraphrasi, et Explanatione perspicua exornavit. Ab eximiis et principibus viris præmia illi ultro fuere delata; maxime ab Alexandro Cardinali Farnesio, qui amœnis frugiferisque agellis, venusta domo, aliisque fortunæ bonis eum ditavit. Sed et præclaris honoribus fuisset ornatissimus, Episcopali præsertim dignitate, nisi illam firmo constantique animo rejecisset; quippe qui in iis honoris et dignitatis insignibus nihil prorsus commoveretur, a quibus non pauci præstantes viri ita ducuntur, ut etiam insaniant. In primis vero Pauli III. erga eum summa exstitit benignitas ac liberalitas, quum

illum unum Tridentino Concilio a secretis constituisset, cæterisque propter illius eruditionem, doctrinam, atque pietatem, præferendum omnino judicasset. Verum Flaminius judicii honorem, quam officii dignitatem, maluit. Quo minus enim honorifica et laboriosa munera susciperet, valetudo impedivit. Statuit igitur, omnibus posthabitis, cum cæteris, quos illi communia literarum studia conciliarant, reliquum omne ætatis suæ tempus tranquille ducere; quo nihil ei accidere potuit optatius. Si quando autem eorum conspectu et contubernio caruisset, cum iis absentibus per literas colloquebatur; in quibus plane perspicitur, quam doctus, quam humanus, quamque elegans esset, in iis præsertim quas hendecasyllabo conscripsit carmine. Ad Cornelii Forum, patriam sibi carissimam, demigrare voluit, ibique, quod reliquum sibi vitæ esset, conquiescere. Verum secus ac illi in optatis erat, evenit. Obiit Romæ anno 1550, ætatis suæ 52. In servandis tam rari atque excellentis viri monumentis diligentiam omnem Polus Cardinalis, aliique amici contulere. *E Flaminii vitâ, a Francisco Mancurto conscripta.*

MOLSA.

Franciscus Marius Molsa Mutinæ natus est anno 1489. Hippolyti primum Medicei, deinde Alexandri Farnesii Cardinalium familiaris fuit. Romæ Latinis, Græcis, Hebraicisque literis eruditus, tantum in artium optimarum studiis profecit, ut et disertissimus orator, et poeta elegantissimus evaserit. Sed ut doctrinæ eloquentiæque laude eluxit, sic vitiis est obrutus. Nam et liberius justo vixit, et rem familiarem adeo neglexit, ut a patre exhæredari meruerit, et mulierum amoribus nimium indulgendo, in extremum vitæ discrimen non semel adductus est. Adolescens enim, dum a mulierecula quadam rediret, ferro prope septum transversum percussus, licet ex gravissimo vulnere Lælii Maximi opera sanatus esset, haud tamen maturiore ætate ab instituta vivendi ratione recedere voluit. *(Vincent. Alex. Constantius.)* Eximium atque habile ad poeticam ingenium consecutus, Latinis Elegis et Etruscis rhythmis pari gratia ludendo Musas exercuit; tanta quidem omnium commendatione, ut per triginta annos, qui Romæ Mecœnatis nomen tulere, insigni liberalitate studioque adjutum adipiscendis honoribus efferre contenderint; prægravante semper ejus genio, quum redivivis toties amori-

bus occupatus, par ingenio studium subtraheret, neque habitu, vel incessu, ullove nobili commercio carminum famam tueretur. Fœde prodigus, honestique nescius pudoris, neglectum rerum omnium ad innoxiæ libertatis nomen revocabat usque adeo supine, ut summæ laudis et clarioris fortunæ certissimam spem facile corruperit. His moribus, quum Venerem quam Minervam impensius coleret, tamen ab hac nihilo secius sempiternam ingenii laudem retulit, non a jucundo tantum carmine, quo lascivisse videtur, sed pedestri etiam gravique facundia, qua Laurentium Medicem, nefaria libidine antiquis statuis noctu illustria capita detrahentem, apud Romanos ab ea injuria percitos accusavit. *(P. Jovius in Mols. Elog.)* Ejus immaturum obitum, anno scilicet 1544, omnes Itali eruditi, tanquam fratris ac socii, fleverunt. *Toscanus in Pepl. Ital.*

VIDA.

Marcus Hieronymus Vida Cremonensis annum circiter 1490 natus est. Ubi primum adolevit, Canonicorum regularium Lateranensium familiæ nomen dedit; tantosque in divinarum humanarumque rerum studiis progressus fecit, ut non minus pietate et religione, quam ingenio ac doctrina,

usus omnium maxime floreret. Quum igitur Leo X. in literatos singulari amore afficeretur, tanti viri amicitia carere noluit; et cœnobii eum e tenebris ad Romanam curiam evocatum, adprime habuit in deliciis, et muneribus auxit. At hic loci debitæ laudes nequaquam denegandæ sunt Joanni Matthæo Giberto, cui Vida noster acceptum videtur referre, quod tanta apud Leonem valeret gratia, præsertim quod Prioratum Divi Silvestri Tusculanum, in loco pesamæno situm, adeptus esset. Ad Albæ Pompeiæ episcopatum evectus fuit a Clemente VII. quocum duos annos post dignitatem acceptam Romæ vixit. Sed noluit in urbe vel ignavus diutius morari, vel ambitiosus, prout hodie quorundam mos est, alterimibus titulis et honoribus inhiare. Albam igitur se contulit, ut populo sibi commisso fidelius invigilaret. Cumque ampliorem agendi campum adeptus esset, spem de eo conceptam minime fefellit. Et sincera in Deum pietate, et simplici vitæ innocentia spectabilis, non minus exemplar morum, quam censorem se exhibuit. Ita annos triginta quinque populo Albensi felicibus auspiciis gubernato, ad Deum placide migravit anno 1566. *Ex Vidæ Vita in Edit. Oxon. et V. A. Constant.*

ARCHIUS.

Nicolaus Archius Comes, e nobili stirpe oriundus, natus est anno 1479. Arcum in regione Tirolensi, qui haud procul a Benaco lacu abest, majores ejus usque a duodecimo sæculo in ditione sua tenuerant. M. A. Flaminio, Fracastorio, Paulo Jovio, aliisque eruditis viris familiariter usus est. Ineunte adolescentia, in aula Imperatoris aliquamdiu habitavit; rei etiam militari operam dedit. Sed cum literarum artiumque liberalium cognitio bellica gloria et armorum strepitu ei longe jucundior esset, in otium tranquillum et honestum se contulit, honoribus cunctis, quæ tum veteri ejus et illustri familiæ, tum ingenio præclaro convenirent, pro nihilo habitis, et æquo animo relictis. Itaque studiis elegantioribus totum se tradidit. Paulus Jovius in Dialogo de viris literis illustribus eum collaudat. "In Nicolao Archio nobili regulo, qui nunc domi procul a strepitu corruentis Italiæ in subalpinis silvis supra Benacum tranquille cum Musis exercetur, jampridem enituit indoles exactissimi vatis, quum me Ticini æstuantem juveniliter, ac irate obiter Anterotica conscribentem, ut sævas amici flammas pie miseratus, salutaribus elegis delinivit." Ad vitam meliorem migravit anno 1546. *Tirabosc. T. 7. p.* 1570, 1600.

CAPILUPUS.

Hippolytus Capilupus Mantuanus, Lælii illius a Thuano laudati frater, natus est anno 1511. Gravissimis rebus administrandis Ferdinandus Gonzaga et Hercules Cardinalis opera ejus et consilio sunt usi; plurimasque ad eos epistolas dedit; quæ etsi in tenebris diu delituere, dignæ sunt tamen, quæ in lucem proferantur. Ex his vero constat, non modo literis ac poetica facultate, sed etiam legationibus et aliis publicis muniis obeundis Hippolytum præstitisse. Easdem plurimum conferre posse ad res gestas illorum temporum cognoscendas Tiraboschius arbitrabatur. In Fani episcopatum a Pio IV. evectus, septem post annos eo se abdicavit, cum Romam in deliciis haberet, et otium literatum, quam omnes honores et divitias, mallet. Diem supremum obiit anno 1580. *Tirabosc. T. 7. p. 1353.*

BONFADIUS.

Jacobus Bonfadius, sæculi decimi sexti initio natus, locum sibi vindicat inter præstantes poetas. Patria ei fuit Gazanum, vicus amœnissimus ad Benacum prope Salodium. Vicum illum ac Benacensem ipsam regionem quo amore dilexerit Bonfadius, constat ex pluribus Italicis ejus

Epistolis; illa præsertim, disertissima profecto atque elegantissima, quam ex eo ipso Gazani loco ad Plinium Tomacellum dedit; ut nimirum cum ea ipsa loci amœnitate a Bonfadio descripta hujus stylus certare quodammodo videatur. Neque Italicis tantum Epistolis patriæ suæ amœnitatem collaudavit Bonfadius, sed Latino insuper poemate; quod egregiam ejus in arte poetica peritiam testatur. *(Quirini Specimen Literaturæ Brixianæ, Pars 2. p. 204.)* Quum res adversas diu passus esset, in Academia Patavina otium tranquillum nactus, Torquatum, Petri Bembi filium, doctrina et literis instituit. Postea Genuæ philosophiam publice docuit; rerumque gestarum illius civitatis scribendarum munere optime fungebatur. Sed infelix Bonfadius, quum facinoris cujusdam magni in crimen vocaretur, capite damnatus est. De ejus morte subtiliter et copiose Tiraboschius disseruit. Thuanus eum dignum existimavit, cujus in Historia sua commemoraret obitum. " Soluto pedestrique scribendi genere in sua Latinaque lingua clarus fuit; sed tantas dotes diversi mores corruperunt; ita ut ob rem tacendam Genuæ, cujus urbis historiam aliquot annorum scripserat, securi percussus sit, adhuc vegeta ætate et infracto mentis robore, scripta sub id elegantissima epistola, qua Socratis exemplo,

animum tranquillum et intrepidum ad mortem se offerre contestabatur. *Hist. L.* 26.

MANUTIUS.

Paulus Manutius, Aldi celeberrimi Typographi filius, natus est Venetiis anno 1512. De quo egregio viro Thuanus; "In Paulo quidem præter exactam puritatis Latinæ et antiquitatis Romanæ cognitionem, quam ad Ciceronem suum illustrandum attulit, plerisque scriptis, dum vixit, publicatis, et post mortem a filio Aldo virtutum paternarum hærede editis, præcipua ad juvandos aliorum labores cura, ac per manus hæreditario veluti jure a patre et avo tradita industria fuit, insigni illa et omnibus sæculis deprædicanda artis typographicæ officina, ex qua omnium fere veterum tam Græcorum quam Latinorum et aliorum auctorum scripta, diligenter, ut tempora ferebant, certe elegantissimis excusa, ad publicam utilitatem olim prodierunt; ut omnium confessione constet, literas renascentes ortum suum Manutianæ familiæ debere; quæ adultiores in Germania a Frobeniis, sed maxime omnium in Gallia a Stephanis per centum annorum spatium eadem industria propagatæ, et ad summum diligentiæ simul et elegantiæ fastigium perductæ sunt.

Paulus autem ante aliquot annos Venetiis Romam evocatus, ut sacrorum librorum editioni præesset, attenuato assiduis studiis corpore, cum diu præ macie in lecto decubuisset, ubi cum paucis ante mortem diebus sedulo, cum Romæ essem, cum Marco Antonio Mureto vetere amico sæpius invisi, tandem optime meritam de re literaria animam Deo reddidit, anno 1574." *Hist. L.* 39.

AMALTHEI.

Amaltheorum familia, ex agro Forojuliensi oriunda, de literis optime meruit. Tres præcipue fratres magnam in poetica laudem adepti sunt, Cornelius, Hieronymus, et Joannes Baptista. Hieronymus, anno natus 1507, medicinam feliciter exercuit; e vivis excessit anno 1574. Cornelius quoque medicus fuit, et publicum epistolarum scribendarum munus Ragusæ sustinuit. Tertium ex iis duntaxat Gyraldus commemorat: "Vidi et superioribus his diebus Joannis Baptistæ Amalthei quosdam versus, inter quos eclogas, elegos, et epigrammata; juvenis hic, ut audio, trilinguis, de quo bene sperandum; cujatis sit nescio, sed eum Forojuliensem audio, eumque Venetiis apud Lipomanos juventutis institutorem agere." *(De poett. sui temp. Dialog. 2.)* Hic natus est anno

1524. Patavii in literis operam posuit, adeoque brevi enituit, ut anno ætatis vicesimo dignus haberetur, qui nobiles e Lipomanorum familia juvenes institueret et erudiret. Neque in hoc munere exequendo otium ei deerat, quin ipse maximos progressus faceret, et cum linguarum studio, Græcæ, Latinæ, Italicæ, theologiam, philosophiam, jurisprudentiam conjungere posset. In Angliam cum legato Veneto profectus est; aliorumque negotiorum publicorum particeps ac socius fuit. Romæ supremum diem obiit, annos octo et quadraginta natus, summo eruditorum omnium mœrore et desiderio; qui vivum eum summopere diligebant, ac maximis laudibus ferebant. *Tiraboſc. T.* 7. 1344.

MURETUS.

Marcus Antonius Muretus Ratiasti Lemovicum natus est anno 1526; qui quamvis Gallus esset, tamen inter Italos poetas sæpissime locum obtinuit: nec immerito. " Vir enim fuit (ut Thuani verba testantur) ingenio præstanti et ad omnia nato præditus, quod in politiori literatura præcipue exercuit, utriusque linguæ peritia clarus, et Latine scribendi facultate insignis; ad quæ omnia acerrimum judicium attulit. Is primum literas humaniores Lutetiæ professus, dein Burdigalæ, et

Augustæ Ausciorum, Pictavii etiam et Tolosæ juri civili operam dedit, atque inde, relicto summo sui apud suos desiderio, in Italiam concessit anno 1554; et Venetiis ac Patavii sexennium commoratus, postremo Romam amplissimis conditionibus ab Hippolyto Atestino Cardinali invitatus, in illius, et post ejus mortem in Aloysii Atestini Cardinalis familia consenuit, majore semper ad eruditionis ac facundiæ præstantiam facta cum ætate accessione. Mortuum laudavit Franciscus Bentius, tanto præceptore dignissimus discipulus, coram celebri cœtu ad S. Trinitatis in colle Hortulorum congregato, ubi et Muretus testamento condito sepeliri voluit." *(Hist. L. 82.)* Obiit anno 1586. Plura de Mureto in operum ejus editione, a Rhunckenio confecta, inveniri possunt.

ELENCHUS CARMINUM.

SANNAZARII.

	Pag.
De Studiis suis, et Libris Joviani Pontani	1
Ad Divum Jacobum Picenum	5
Ad Ruinas Cumarum	7
Quod pueritiam egerit in Picentinis	8
Ad Federicum, Ferdinandi Filium	12
De mirabili Urbe Venetiis	19
Ad Villam Mergillinam	19
Laudat Federicum Regem	21
De Fonte Mergillines	23
Ferdinando Federici Regis Filio	24

CASTILIONII.

Cleopatra	28
Alcon	30
Prosopopœia Ludov. Pici Mirandulani	36
Elegia qua fingit Hippolyten suam ad se ipsum scribentem	39
De Morte Raphaelis Pictoris	43
In Cupidinem Praxitelis	43

BEMBI.

Benacus	44

SADOLETI.

Pag.

De Laocoontis Statua - - - - - - - 51
De Quinto Curtio - - - - - - - - 53

FRACASTORII.

Syphilis, Lib. 1. - - - - - - - - - 65
——— Lib. 2. - - - - - - - - - 81
——— Lib. 3. - - - - - - - - - 96
Ad Joannem Bapt. Turrianum, in obitum Filiorum suorum 111
Ad M. A. Flaminium et Galeatium Florimontium - - 115
Ad Franciscum Turrianum - - - - - 118
In Mortem Aliprandi Madrutii - - - - - 121
Ad Alexandrum Farnesium - - - - - 122
Ad Eundem - - - - - - - - - 127
Ad Julium III. Pont. Max. - - - - - 130

NAUGERII.

Vota Cereri pro Terræ Frugibus - - - - - 136
Vota ad Auras - - - - - - - - 137
Vota Damidis ad Bacchum pro Vite - - - - 137
Augonis Venatici Canis Epitaphium - - - - 137
Invitatio ad Amœnum Fontem - - - - - 138
De Obitu Hylacis Canis Pastorii - - - - - 139
Vota Veneri, ut amantibus faveat - - - - 139
In Vancium Vicum Patavinum Amœnissimum - - 140
De Patavio a militibus vastato - - - - - 142
Ad Auroram - - - - - - - - - 143
Ad Venerem - - - - - - - - - 144
Genethliacon Pueri Nobilis - - - - - 146

FLAMINII.

	Pag.
De Delia	150
Ad Alexandrum Farnesium	153
Ad Agellum suum	155
Ad Eundem	156
Ad Patrem Morientem	157
Ad Antonium Mirandulam	157
Ad Apollinem	159
De Laudibus Mantuæ	160
Ad Cæsarem Flaminium	161
Ad Auram, de Reginaldo Polo	162
De Gaspare Contareno	162
Ad Stephanum Saulium	163
Ad Alexandrum Farnesium	164
Ad Eundem	166
Ad Hieronymum Turrianum, de Morte Victoriæ Columnæ	168
Ad Galeatium Florimontium	169
Ad Petrum Carnesecum	172
Ad Franciscum Turrianum	173
Ad Christophorum Longolium	174
Ad Dominicum Saulium	176
Ad Ludovicum Beccatellum	176
Ad Agellum suum	177
Ad Honoratum Fascitellum	178
Ad Petrum Viperam	179
Ad Hieronymum Pontanum	180
Ad Ludovicum Beccatellum	181
Ad Herculem Severolum	182
Ad Aloysium Priulum	183
Ad Philippum Bonum	184
Ad Sodales suos	185
Ad Stephanum Saulium	186

MOLSÆ.

	Pag.
Ad Alexandrum Farnesium	188
Ad Herculem Ducem Ferrariæ IV.	191
Ad Aloysium Priulum	193
Ad Carolum Cæsarem	197
Paternas Sedes laudat	200
De Hippolyto Cardinali Mediceo	202
Ad Nymphas	203
Ad Sodales graviter ægrotus	208

VIDÆ.

Poeticorum, Lib. 1.	207
——— Lib. 2.	226
——— Lib. 3.	247
Joan. Matthæo Giberto	267
Joan. Matthæo Giberto	269
Epistola ad Eundem	271

ARCHII.

Ad Veronicam Corrigiæ dominam	274
De Reditu Clesii Cardinalis	276
Ad Christophorum Madrutium	277
Ad Eundem	278
Nænia de Morte Matris	280
Ad Capilupos, Pretum, et Marnum	283
Ad Camillum Capilupum	283
Prosopopœia Rhodomontis ad Lysam Conjugem	285

CAPILUPI.

Ad Julium Feltrium	292
Ad Romam	295

Pag.

Ad Antonium Jannottum - - - - - - 297
Ad Jo. Franciscum Pasqualium - - - - - 299
Ad Federicum Pendasium - - - - - 301
Ad Bernardinum Tilesium - - - - - 303
Ad Paulum Manutium - - - - - - 304

BONFADII.

Gazani vici Descriptio - - - - - - - 306

MANUTII.

Ad eos, qui pro Bonfadii salute laborarunt - - - 309

HIERON. AMALTHEI.

Ad Maximilianum Bohemiæ Regem - - - - 312
De Acone et Leonilla - - - - - - 315

J. B. AMALTHEI.

Acon - - - - - - - - - - 316
Ad Sebastianum Venerium - - - - - 319
Iolas - - - - - - - - - 324

MURETI.

Tibur - - - - - - - - - 326
Ad P. Franciscum Bentium - - - - - 328



ACTII SYNCERI SANNAZARII

POEMATA.

DE STUDIIS SUIS, ET LIBRIS JOVIANI PONTANI.

QUI primus patrios potuit liquisse penates,
Et maris et longæ tædia ferre viæ,
Quem non mœsta domus, quem non revocare parentes,
Non potuit fusis blanda puella comis,
Impius, et scopulis, et duro robore natus,
Atque inter tigres editus ille fuit.
Non mihi circumstat solidum præcordia ferrum,
Nec riget in nostro pectore dura silex;
Ut possim dulcesque lares, limenque puellæ
Linquere, et ignoto quærere in orbe domum.
Sed Phœbi sacros cogor lustrare recessus,
Vocalemque undam, Thespiadumque choros;
Ut fugiam nigras supremo in funere flammas,
Et volitem populi docta per ora mei;
Meque inter claros attollat fama poëtas,
Nec rapiat nomen nigra favilla meum;

Et nostro celebrata superbiat umbra sepulcro,
Spernat et e Pariis marmora cæsa jugis:
Non tamen ut magni tumulum tentare Maronis
Audeat, aut tantum speret habere decus.
Sed quis tam niveis vellat mea colla lacertis?
Quis vetet optato membra fovere sinu?
An tanti fuerit sacro Parnassus hiatu,
Perque suas passim templa habitata deas,
Ut tibi sit nitidos lacrimis corrumpere ocellos,
Discessumque fleas, chara puella, meum?
Ah pereat, quicunque leves sectatur honores,
Et sequitur famæ nomina vana suæ.
Tecum ego nocturnis dubitem cessare choreis?
Tecum ego conspersa gaudia inire rosa?
Deductumque levi crinem perfundere amomo?
Et noctem insolitis ducere blanditiis?
Scilicet et Turcas Pontanus in æquora classes,
Alfonsi et fortes ducat in arma manus:
Qui nunc nascentis canit incunabula mundi,
Aureaque ætherea sidera fixa domo:
Utque imbres lapidesque pluant, ut nubibus ignes
Exsiliant, salsas ut mare volvat aquas:
Hesperidumque hortos, excussaque poma draconi,
Rusticaque ad primos munera missa toros,
Delicias, Lepidina, tuas, resonansque vicissim
Pastorum argutis carmen arundinibus:
Qualiter et fulvis radiet Sertorius armis,
Et Pompeianus prælia tentet eques:
Audeat arguto neu quis contendere versu;
Ille vel æterno digna Marone sonat.

Te pater irriguis audit Sebethus in antris,
Jurgia ad ingratas dum jacis ipse foras.
Inde vocas sacrum festas Hymenæon ad aras,
Optati referens fœdera conjugii;
Utque tuis primum surgens complexibus uxor
Visa sit erepta virginitate queri.
Felix, qui fides expertus conjugis ignes,
Vidisti sobolis pignora certa tuæ;
Næniolasque rudes cecinisti, et blanda parentis
Oscula, et ad cunas murmura nota suas.
Felix, exultum torsit quæ Fœnia vatem,
Quæque illi regnum Cimmeria subripuit.
Quamvis dissidii leges patiantur amaras,
Spectabunt cineres nomen habere suos.
Eridani post hæc sed te quis credat ad amnem
Populea canas fronde ligasse comas?
Et Stellam cecinisse, atque impendisse querelas,
Spectandos cum jam vix daret illa pedes?
Baianosque sinus, myrtetaque cognita nymphis,
Clausaque sulphureis antra recurva jugis?
Tum superum laudem, mutisque incisa sepulcris
Nomina, collapsos et reparare rogos?
Denique Pindaricosque modos, resonantia plectra,
Et Methymnæ fila novasse lyræ?
Cum tamen interea motus atque agmina regum,
Bellaque Campanæ discutis historiæ.
Quin et jucundo distringis sæcula morsu,
Dum vafer in Stygio disputat amne Charon;
Varronisque tui, Nigidique exempla secutus,
Grammaticæ haud spretos incipis ire vias.

Carminis hinc numeros nostris depromis ab ausis,
Dignatus pueri verba referre senex.
Quid loquar, ut sacros Mariani exhauriat amnes,
Ægidius, verum dum canit ore Deum?
Aut apta ingratos taxet sub imagine mores,
Qui super infusas spernit Asellus aquas?
Te juvenesque senesque colunt præcepta ferentem,
Parthenope spreto quæ Cicerone legit;
Ex adytis quicquid divûm sapientia pandit,
Et, Stagira, tui dogmata firma senis:
Quid deceat fortemque virum, quæ principis artes,
Largificas præstet quæ dare dona manus:
Parendi leges quæ sint, legesque loquendi:
Edat ut argutos lingua diserta sales:
Quid fortuna homini, quid det prudentia, quantum
Immanes animos incitus ardor agat:
Magnanimique viri quæ sint ad singula partes,
Sive colat pacem, seu fera bella gerat.
Nec fugis astrorum causas aperire latentes,
Et Ptolemæei fata reposta poli.
Salve, sancte senex, vatum quem rite parentem
Præfecit terris Delius Ausoniis.
Non te Lethææ carpent oblivia ripæ,
Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebeio ponetur in aggere bustum:
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices exspectas, Umbria, palmas?
Mœnibus has patriæ rettulit ille meæ.
Ille suis longum studiis et laude fruatur:
Me juvet in dominæ consenuisse sinu.

AD DIVUM JACOBUM PICENUM.

Sancte senex, quem nec sceleris contagia nostri,
Nec pessum vitiis sæcla dedere suis,
Æquasti magnos qui paupertate triumphos,
Tantus amor niveæ simplicitatis erat;
Silva tibi sedes, viridique e cespite lectus;
Explebant mensas amnis et herba tuas:
Talis erat priscis victus mortalibus olim;
Sed priscis tantum vivere cura fuit.
At te diversos naturæ expendere casus
Juvit, et instantes divûm aperire metus:
Submotumque oculis animo percurrere cœlum;
Quasque tenes sedes, mente adiisse prius:
Noscere præterea cunctarum exordia rerum;
Quod vix humanæ conditionis erat;
Magnum opus! ut prima surgentis origine mundi,
Omnia sint senis edita luciferis:
Utque Pater sancta demum cessare quiete
Perfecto artifices jusserit orbe manus.
His addis cultusque pios, ritusque verendos,
Cunctaque legifero tradita sacra duci:
Quæque suis castæ sæclis cecinere Sibyllæ;
Quæque sacer vatum spiritus ore refert:
Sidereos partus, demissaque pignora cœlo,
Atque inopes cunas, stramineumque torum:
Speratumque diu terris, cœloque probatum,
Verum hominem, verum mente animoque Deum.

Hinc et supplicium infandum, atque opprobria mortis,
Claraque de Stygia ducta tropea domo:
Denique, ut ad patrem populo spectante suorum
Cesserit, igniferis præsideatque locis:
Quantaque nos maneant promissa gaudia vitæ,
Quantaque venturæ gloria lucis erit.
Miremur, tibi si placidi penetrale Tonantis,
Et patet immensi regia clara poli?
Cum tantum his superas meritis sit scandere in arces,
Qua plaga securum lactea monstrat iter.
Scilicet inde datur terras spectare jacentes,
Et circumfusi brachia curva maris;
Solis et ardentes radios, Lunæque recursus;
Qualiter et pacta stent elementa fide:
Nec minus æternis niteant ut sidera flammis,
Et peragant varias noxque diesque vices.
Felix, qui nostras potuisti linquere curas,
Et procul humanas despicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem,
Quæque tibi gratos præbuit herba toros:
Quæque arbor, rupesve sacra te fovit in umbra;
Et quæ nunc cineres continet urna tuos.
Nam licet incultis fuerit tibi vita sub antris,
Nunc pedibus data sunt astra terenda tuis.
Attamen o dic, sancte pater, dic, addite cœlo
Gloria, dic, patriæ fama decusque tuæ;
Ecquid te solitis mulcet sapientia chartis,
Mollis ubi Elysium concitat aura nemus?
An juvat aurata meditantem carmina canna,
Nectere purpurea tempora cana rosa?

An magè virgineis sedet invigilare choreis;
  Cum deceat cœlo, quicquid in orbe libet?
An potius, toto superûm spectante senatu,
  Diluis æthereo crimina nostra foro?
Denique quicquid agis, nitidi novus incola cœli,
  Pectoribus nostris non leve numen eris.

AD RUINAS CUMARUM

URBIS VETUSTISSIMÆ.

Hic, ubi Cumææ surgebant inclyta famæ
  Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris,
Longinquis quo sæpe hospes properabat ab oris,
  Visurus tripodas, Delie magne, tuos,
Et vagus antiques intrabat navita portus,
  Quærens Dædaleæ conscia signa fugæ;
(Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?)
  Nunc silva agrestes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,
  Nunc claudit saturas vespere pastor oves.
Quæque prius sanctos cogebat curia patres,
  Serpentum facta est alituumque domus.
Plenaque tot passim generosis atria ceris,
  Ipsa qua tandem subruta mole jacent.
Calcanturque olim sacris onerata tropæis
  Limina, distractos et tegit herba deos.

Tot decora, artificumque manus, tot nota sepulcra,
Totque pios cineres una ruina premit.
Et jam intra solasque domos, dissectaque passim
Culmina, setigeros advena figit apros.
Nec tamen hoc Graiis cecinit Deus ipse carinis;
Prævia nec lato missa columba mari.
Et querimur, cito si nostræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.
Atque utinam mea me fallant oracula vatem,
Vanus et a longa posteritate ferar:
Nec tu semper eris, quæ septem amplecteris arces;
Nec tu, quæ mediis æmula surgis aquis.
Et te, (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator
Vertet, et, Urbs, dicet, hæc quoque clara fuit.
Fata trahunt homines; fatis urgentibus, urbes,
Et quodcunque vides, auferet ipsa dies.

QUOD PUERITIAM EGERIT IN PICENTINIS.

AD CASSANDRAM MARCHESIAM.

Est Picentinos inter pulcherrima montes
Vallis: habet patrios hic pia turba deos:
Quam super hinc cœlo surgens Cerretia rupes
Pendet: at huic nomen cerrea silva dedit:
Parte alia sacræ respondent saxa Tebennæ,
Quique rigens Merulæ nomine gaudet apex;
Et circum nigra late nemus accubat umbra,
Plurima qua riguis effluit unda jugis,

Semiferi, si vera canunt, domus horrida Fauni;
Convectant avidæ quo sua lustra feræ.
Accipit hic tergo formosum bucula taurum;
Accipit immundum sima capella marem.
Mille tori Dryadum, Satyrorum mille recessus,
Antraque silvicolæ grata latebra deæ.
Vivula nomen aquæ, tenuique Subuncula rivo,
Et quæ de gelida grandine dicta sonat.
Huc mea me primis genitrix dum gestat ab annis,
Deducens charo nupta novella patri,
Adtulit indigenis secum sua munera divis,
In primis docto florea serta gregi.
Grex erat Aonidum, cœtu comitata sororum
Ipsa sui princeps Calliopea chori:
Delius argutis carmen partitus alumnis
Flectebat faciles ad sua plectra manus:
Atque hic me sacro perlustravere liquore,
Cura quibus nostræ prima salutis erat;
Tum lotum media puerum statuere chorea,
Et circumfusis obstrepuere sonis:
Denique præcinctumque hederis, et virgine lauru,
Ad citharam dulces edocuere modos.
Tantus erat lætis avium concentus in agris,
Ut posses ipsos dicere adesse deos.
Venerat omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Atque illa festum luce habuere diem.
Tunc ego pastorum numero, silvestria primum
Tentavi calamis sibila disparibus;
Deductumque levi carmen modulatus in umbra,
Innumeros pavi lata per arva greges;

Androgeumque, Opicumque, et rustica sacra secutus,
Commovi lacrimis mox pia saxa meis,
Dum tumulum charæ, dum festinata parentis
Fata cano, gemitus dum, Melisæe, tuos.
Ac tacitas per operta vias rimatus, et antra
Inspecto, et variis flumina nata locis.
Mox majora vocant me numina: scilicet alti
Incessere animum sacra verenda Dei,
Sacra Dei regisque hominum, dominique deorum,
Primævum sanctæ relligionis opus:
Nuntius æthereis ut venerit aliger astris,
Dona ferens castæ virginis in gremium.
Quid referam caulasque ovium, lususque canentum
Pastorum, et reges, Arsacis ora, tuos?
Nec minus hæc inter piscandi concitus egit
Ardor in æquoreos mittere lina sinus,
Fallacesque cibos vacuis includere nassis,
Atque hamo undivagos sollicitare greges:
Quandoquidem salsas descendi ego primus ad undas,
Ausus inexpertis reddere verba sonis.
Quid referam mollesque elegos, miserabile carmen,
Et superis laudes non sine thure datas?
Quæque aliis lusi numeris, dum seria tracto,
Dum spargo varios per mea dicta sales;
Multaque præterea, dilectæ grata puellæ,
Adscisco antiquis rursus Etrusca modis?
Ut sileam nunc impensos tot regibus annos,
Tot data belligeræ tempora militiæ:
Ut sileam vexata malis mea corpora morbis,
Vixque Machaonia restituenda manu.

Adde graves populique fugas, procerumque ruinas,
Inflicta et miseris urbibus exilia.
Ipse per infestos tecum, Federice, labores
Multa adii terra, multa pericla mari;
Tuscorumque vadis, Ligurumque exercitus undis,
Postremo littus Massiliense subî.
Jam Rhodanum, Volcasque feros, Vocontiaque arva
Legimus, et fines, Belgica terra, tuos;
Bisque pruinosas cursu superavimus Alpes;
Bis metas magni vidimus Oceani:
Atque hic te tandem deflevimus, optime regum,
Quantum Hecube natos fleverat ipsa suos;
Quantum discissis fratres Cassandra capillis,
Andromacheque, sui dum legit ossa viri.
O fatum infelix! o sors male fida! quid illic
Egimus? o tristi mersa carina loco!
Cum nullum interea frugis genus imbre vel æstu
Redderet ingenio Musa vocata meo.
Et jam miramur, longo si pressa labore
Amisit vires parvula vena suas?
Ipse deûm simul atque hominum celebrator Homerus
Deficeret; nedum segnis inersque lyra.
Deficeret pater ipse, et carminis auctor Apollo,
Pegasidum sacras qui tenet unus aquas.
Ergo, tanta meæ cum sint dispendia vitæ
Facta, potes nostram quisque dolere vicem,
Quod non ingenio, quod non profecimus arte,
Quod mea sit longo mens prope victa situ;
Quod mala subrepens imos, ceu pestis, in artus
Irruerit, fracto corpore, segnities;

Nec pote jam lapsæ studium revocare juventæ,
Ingenii cum sit tanta ruina mei.
Tu saltem, bona posteritas, ignosce dolori,
Qui facit ut spreto sit mea fama loco;
Musarum spolierque bonis, et nomine claro
Vatis, et hæc ultro credar habere mala.
Prosit, amicitiæ sanctum per sæcula nomen
Servasse, et firmam regibus usque fidem.
Vosque vel ignavo, vel tardo parcite, amici,
Cui natura suas dura negarit opes;
Dum tamen ambitione mala, atque libidine turpi,
Et caream invisæ crimine avaritiæ.
Tu quoque vel fessæ testis, Cassandra, senectæ,
Quam manet arbitrium funeris omne mei,
Compositos tumulo cineres atque ossa piato;
Neu pigeat vati solvere justa tuo.
Parce tamen, scisso seu me, mea vita, capillo,
Sive—sed heu prohibet dicere plura dolor!

AD FEDERICUM, FERDINANDI FIL. ARAGONIUM, SICILIÆ REGEM.

Ergo ego fallaci tantum servire puellæ
Natus, et adverso semper amore queri?
Nec me Pieria spectabit Phœbus in umbra
Inter certantes carmina ferre choros?
Qua densos Helicon saltus, collesque virentes
Pandit, et Aonidum perluit antra liquor;

Dispositæque jugis intexunt serta puellæ;
Pendentesque sonant per cava saxa lyræ.
Jam libet intactis haurire e fontibus undam;
Et lustrare sacrum, qua via nulla, nemus.
Ardua sunt tentanda: novas en, carmina, vires
Sumite: per durum Gloria anhelat iter.
Nunc opus est alia crinem compescere fronde:
Nil mihi cum sertis, Bacche jocose, tuis.
Ipse audax virides Parnassi in vertice lauros
Decerpam, aut silvis, Pinde canore, tuis.
Ipse lyram nullo percussam pollicis ictu
Suspendam ex humeris, præmia rara, meis.
Non ego nunc mollés meditor lascivus amores:
Nec jacio ad surdas carmina blanda fores.
Major ad heroos me sublevat aura cothurnos:
Major et in nostro personat ore deus.
Lætus ades, Federice: tuas ex ordine laudes
Exsequar: auspiciis fama petenda tuis.
Nam quamquam antiquis regum bene fulta triumphis
Stat domus; et tantis se tibi jactat avis;
Majorum tua non titulis innixa recumbit
Gloria, nec priscis gestit imaginibus:
Sed certat magnos virtus anteire parentes,
Æternum et vera laude parare decus.
Nec tua facta olim titulo breve marmor habebit;
Immensum magni carminis illud opus:
Seu te quis teneris puerum miratus ab annis,
Ætatis referat tempora prima tuæ;
Seu casus rerum varios, durosque labores,
Exhausta et sævo prœlia Marte canat.

Egressum vix dum cunis Æneia nutrix
Sensit, et adventu mota repente tuo est:
Terque deos veneratа, caput ter sustulit urna;
Et tandem Phrygio lingua soluta sono est:
En iterum, Sol magne, meos post diruta Trojæ
Pergama, post Latios spes mihi surgit avos.
Hac ætate vagi quondam per prata Scamandri,
Ænean vidi ludere sæpe metum.
Nec tu major eras, quum jam post fata Creusæ
Reptares gremio, pulcher Iule, meo;
Certaresque joeis curas mihi demere anîles,
Deducens blandas nostra per ora manus.
His tamen auspiciis Albanæ ad sidera turres
Crevere, et rerum maxima Roma caput.
Hinc Decios, Fabiosque, hinc pectora dura, Catones,
Vidimus, et fasces, Brute severe, tuos:
Vidimus et ductos non tuo ex hoste triumphos,
Auctaque Julæis stemmata Cæsaribus.
Ingredere o, felixque tibi pede nostra secundo
Mœnia; propitios et venerare deos.
Ingredere; Antiphatæ polletis tibi regia servit,
Et Læstrygonio limina tuta metu.
Sit Jove Creta potens; sint clari ab Apolline Delphi;
Laudet Amyclæos Tænaris ora duces:
Alciden, Bacchumque ferant ad sidera Thebæ:
Terra rudimentis nostra beata tuis.
Nam te, dum rapidos arcet de finibus hostes,
Ardua magnanimus misit in arma pater.
Auspice te, nostræ nullis incursibus arces,
Succumbent nullis littera nostra minis.

Sed bene habet; cessere metus, cessere pericla:
  Barbarus hostiles ad sua vertit equos:
Jam juga, jam lati respirant undique campi:
  Nec tuba veliferas concitat ulla rates.
Tu tamen ad patrios revocabere victor honores;
  Maternosque sinus, Parthenopenque petes.
Mox Salentinos ibis metator in agros,
  Qua secat Oebalia culta Galesus aqua.
Sed quo, livor edax, non irruis? ecce repente
  Fata jubent longas te procul ire vias;
Romanumque patrem, sacrasque invisere sedes,
  In primis magnos promeruisse deos.
Tum pontes, arcusque ducum, delubra, viasque,
  Cunctaque suis cernes structa theatra foris.
Interea Vaticanas numerare per sedes
  Tot signa artificum, tot monumenta licet.
Mox Veios, veteresque Umbros, fortesque Sabinos
  Transgresso, Hadriacum stat superare latus,
Æmiliæque domos, Apenninumque nivalem,
  Et Phaëtonteo proxima regna Pado.
Quis vernas, Leonora, tuos, quis publica dicat
  Munera, Atestinis edita principibus?
Jam veteres superas, dives Ferraria,ludos,
  Aurea dum celeri præmia ponis equo;
Effigiesque deum, spectandaque signa, per aras
  Exstruis, et variis pegmata celsa locis.
Quis rursum Venetæ miracula proferat urbis?
  Una instar magni quæ simul orbis habet.
Una Italum regina, altæ pulcherrima Romæ
  Æmula, quæ terris, quæ dominaris aquis:

Tu tibi vel reges cives facis: o decus, o lux
Ausoniæ; per quam libera turba sumus;
Per quam barbaries nobis non imperat; et Sol
Exoriens nostro clarius orbe micat.
Proxima sunt, Gonsaga, tuæ spectacula terræ,
Donaque per magnos ante parata duces;
Mantua queis, largoque exsultat Mincius ore,
Ausus spumiferum tollere ad astra caput;
Mincius æterni sacrum geniale Maronis;
Cui cedit flavo lucidus amne Meles.
Hinc populos, Ticine, tuos spectare licebit,
Dictaque lanigeræ mœnia pelle suis,
Taurinosque, altasque Alpes, Pœninaque castra,
Et Rhodanum, et ripas, magne Lemanne, tuas.
Inde per immensum lati spatiabere campi,
Ostendit sacrum mons ubi Jura nemus;
Et veteres felix custodit Claudius arces,
Claudius æternæ conciliator opis.
Hic formidatas acies, ipsumque videbis
Elatum longa prosperitate ducem,
Finitimis dum bella parat; tibique arma, virosque
Commendans, magni jus dabit imperii;
Nimirum ingeniumque sagax miratus, et artes,
Quæque dabis mentis plurima signa tuæ.
Quapropter mediis generum te deligit armis,
Pollicitus natæ spemque, torumque suæ:
Ac velut Oenomai currus, astumque secutus,
Eludet pacti fœdera conjugii;
Sed male ut Oenomao currus cessere, dolique;
Perfidiæ pœnas sic ferus iste luet.

Ter victus, ter jam castris exutus ab hoste,
Postremo miseram corruet ante diem:
Nam dejectus equo, fossaque inventus in alta,
Obscœnam turpi sanguine tinget humum;
Nec jam erit, extremos funus qui curet ad ignes;
Non lapis, incisis qui tegat ossa notis.
Tu celsus, tu sublimis, tu victor honorem
Accipies, tibi quem Gallia tota dabit;
Bisque tuis referet superatos Lingonas armis,
Ductaque bis pulsos signa per Helvetios:
Præterea quantum populorum Mosa coërcet;
Quantum cærulea Rhenus inundat aqua.
Atque erit is nostræ gentis vigor, omnia credi
Ut possint justo succubuisse metu.
Hic ego te, laudesque tuas, fortissime Juli,
Non sileam, et valida prœlia gesta manu;
Quem titulis Aquiviva domus prælustribus ornat,
Mortalesque inter, semideosque locat.
Et jam militiæ moles tibi creditur omnis;
Omnia sub leges allicis ipse tuas.
At te, patrato, juvenum pulcherrime, bello,
Tempus erat patriis dona tulisse deis;
Mendacisque simul fastus, odiumque tyranni
Cum prope defenso deseruisse solo.
Eja age, rumpe moras, invisaque castra relinque;
Fidaque magnanimi limina regis adi;
Cui vel ad Oceani fines tot littora parent;
Juraque dant sceptri Celtica regna sui.
Hic tibi felices tædas, certosque hymenæos
Expediet, tutas et simul addet opes.

Testis erit Liger, Arvernis qui fusus ab antris
Libera devexum per loca findit iter.
Interea patrem, Campanaque tecta revise,
Debitaque auspiciis, hei mihi, regna tuis;
Debita, sed fatis cito jam cessura malignis;
Evertet tantas quum ferus hostis opes.
Dii maris Etrusci, per quos Tiberinus, et Arnus,
Macraque cæruleis jungitur altus aquis,
Dum redit in patriam juvenis, tot honoribus auctus,
Candida felici solvite vela Noto.
Vosque, citæ puppes, jussum properate per æquor;
Fata dabunt istas sæpe iterare vias:
Nec semel hos tractus, Ligurumque videbitis oras,
Aut Vari infaustum fluminis hospitium;
Vallatosque sinus scopulis, Toroëntia claustra,
Et sparsas mediis Stœchadas æquoribus;
Denique Phocaïcosque sinus, Marioque refossum
Littus, et antiquæ mœnia Massiliæ,
Donec fatales Turonum accedere muros
Permittant vestro fata sinistra duci.
Ah Liger, ah nimium lacrimis turgende meorum,
Qualia spectabis flumine busta tuo!
Busta, quibus magni ponant diademata reges,
Grataque solenni flore parentet humus;
Atque aliquis Latio veniens novus hospes ab orbe,
Portet honoratas munus ad inferias;
Et dicat: Federice, tuorum hic meta laborum
Hæsit; habet nostros hæc brevis urna deos.

DE MIRABILI URBE VENETIIS.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
  Stare urbem, et toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumvis, Jupiter, arces
  Objice, et illa tui mœnia Martis, ait:
Si Pelago Tybrim præfers, urbem aspice utramque;
  Illam homines dices, hanc posuisse deos.

AD VILLAM MERGILLINAM.

Rupis o sacræ pelagique custos,
Villa, Nympharum domus, et propinquæ
Doridos, Regum decus una quondam
  Deliciæque,
Nunc meis tantum requies camœnis,
Urbis invisas quoties querelas,
Et parum fidos popularis auræ
  Linquimus æstus!
Tu mihi solos nemorum recessus
Das, et hærentes per opaca laurus
Saxa; tu fontes, Aganippidumque
  Antra recludis.
Nam simul tete repeto, tuasque
Sedulus mecum veneror Napæas,
Colle, Mergillina, tuo repente
  Pegasis unda

Effluit, de qua chorus ipse Phœbi,
Et chori Phœbus pater atque princeps,
Nititur plures mihi jam canenti
Ducere rivos.
Ergo tu nobis Helicon, et udæ
Phocidos saltus, hederisque opacum
Thespiæ rupis nemus, et canoro
Vertice Pindus.
I, puer, blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna,
Affer et flores, procul omnis a me
Cura recedat.
Principis nostri decus, atque laudes
Fama, per latas spatiata terras,
Evehat, qua Sol oriens cadensque
Fræna retorquet;
Quaque non notos populos et urbes
Damnat æternis Helice pruinis,
Quaque ferventis cumulos arenæ
Dissipat Auster.
Ille crescentes veneratus annos
Vatis, antiquum referentis ortum
Stirpis, et clarum genus, et potentum
Nomen avorum,
Contulit larga numerosa dextra
Dona, et ignavæ stimulos juventæ,
Addidit, silvas et amica Musis
Otia præbens.

LAUDAT FEDERICUM REGEM.

Cum vehor picta vacuus phaselo,
Et modo septos jaculis echinos,
Nunc bene hærentes scopulis laboro
Vellere conchas;
Tange vocales studiosa chordas,
Musa, et auratum moderare plectrum:
Pauca de multis referamus acta
Regis amati.
Qualis herboso spatiata campo
Virgo, jam matris decus et voluptas,
Nectit e solis violis coronam,
Cætera linquens.
Hic ubi veras imitata turres
Tot simul pinnis, niveisque tectis,
Rupe Mergillina sedens, propinquum
Spectat in æquor,
Adsit ex imo Galatea fundo,
Nil timens sævos Polyphemi amores,
Nec mihi durum refluens canenti
Obstrepat unda.
Sit licet magnus, trepidasque turmas
Fregerit primis Federicus ausis,
Cum puer celsas penetravit Alpes,
Saxaque Rheni;

Texerit latis pelagus carinis,
Dalmatûm dites populatus urbes;
Senserit presso prope fulminantem
Ore Timavus;
Cinxerit sacra meritum corona
Et caput, Gallos quoniam feroces
Contudit; totas revocarit orci ex
Faucibus urbes:
Nil tamen majus, nihil egit unquam
Fortius, quam quod, titubante regno,
Cum sibi sceptrum et diadema posset
Sumere tutus,
Conjugem charam propriosque natos
Liquit, et fidas lacrimas clientum,
Fratris heu pulsam sobolem secutus
Per mare vastum.
Ergo nunc illi moderator alti
Ætheris, cui sunt pia facta curæ,
Regium frontis decus et negatos
Addit honores.
O Fides, rarum placidumque numen,
O mihi nullis reticenda sæclis,
Te te ego æternum prece victimisque
Pronus adorem.

DE FONTE MERGILLINES.

Est mihi rivo vitreus perenni
Fons, arenosum prope littus; unde
Sæpe discedens sibi nauta rores
Haurit amicos.
Unicus nostris scatet ille ripis,
Montis immenso sitiente tractu,
Vitifer qua Pausilypus vadosum ex-
currit in æquor.
Hunc ego vitta redimitus alba,
Flore, et æstivis veneror coronis;
Cum timent amnes, et hiulca sævum
Arva Leonem:
Antequam festæ redeant Calendæ
Fortis Augusti, superantque patri
Quatuor luces; mihi tempus omni
Dulcius ævo;
Bis mihi sanctum, mihi bis vocandum,
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto, geminaque semper
Thuris acerra.
Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phœbus illuxit, pariterque dias
Hausimus auras.

Hac et insigni peragenda ritu
Sacra solennes veniunt ad aras
Nazarî, unde omnes tituli, meæque
Nomina gentis;
Nazarî vastas cohibentis undas
Æquoris, sævosque domantis æstus,
Quidquid et vani truculenta jussit
Ira Neronis.
O decus cœli, simul et tuorum,
Rite quem parva veneramur æde;
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dedisti;
Huc age, et fontem tibi dedicatum
Sæpe revise.

FERDINANDO FEDERICI REGIS FIL. ARAGONIO, CALABRIÆ DUCI.

ECLOGA, PROTEUS.

Nunc primum notas velis majoribus undas
Currimus, o Nymphæ Craterides; ordine quando
Suadet amor, caræ primos telluris honores
Dicere: cæruleæ magni Crateris alumnæ,
Telluris primos caræ dicamus honores,
Dum radiis fervens medium Sol excoquit æquor.

Tu vero, patriæ juvenis decus, edite cœlo,
Spes generis tanti! seu te nimbosa Pyrene
Pro dulci Latio, pro nostris detinet arvis,
Seu vagus objecto munimine claudit Iberus,
Rumpe moras: nec te latis Hispania regnis
Alliciat, stirpisve tuæ primordia, et ille
Gentis honos; licet effuso Tagus impleat auro,
Et pater Oceanus spumanti perluat unda.
Nam mihi, nam tempus veniet, cum reddita sceptra
Parthenopes, fractosque tua sub cuspide reges,
Ipse canam: nunc littoream ne despice musam,
Quam tibi post silvas, post horrida lustra Lycæi,
(Si quid id est) salsas deduxi primus ad undas,
Ausus inexperta tentare pericula cymba.
Quæ vada non norunt, quis nescit Protea portus?
Illum olim veteris pascentem ad saxa Minervæ,
Mulcentemque suas divino carmine phocas,
E puppi sensere Melanthius, et Phrasidamus,
Ut forte a Capreis, obscura nocte, redibant:
Sensere et vario delphinas ludere cursu,
Tritonumque choris longe freta pulsa sonare.
Ipse autem, haudquaquam mortali digna referri
Verba sono, vacuas lætus cantabat ad auras:
Terrigena ut quondam matris de ventre Typhœus
Exiliens, infanda deos ad bella vocasset:
Ut fratrum primus, furiis et hiantibus hydris
Instructus, densas ductaverit ipse catervas:
Ut nisu ingenti partes de monte revulsas,
Ænariam, Prochytenque altis immiserit astris,
Ac totum subito cœlum tremefecerit ictu:

Tum Pater haud segni molitus fulmina dextra
Immanes acies dejecerit, atque tropæum
Jusserit ardentes testari sulfure Baias;
Quod gens victa illis lavisset vulnera lymphis.
Hinc magni Alcidæ tauros, stratumque profundum
Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.
His veteres addit Cumas, loca cognita Phœbo,
Vatis et horrendæ lucos, Triviæque recessus;
Cimmeriûmque domos et opaca in vallibus antra.
Te quoque formosæ captum Nesidos amore,
Pausilype, irato compellat ab æquore questu.
Ah! miser, ah! male caute, tuæ quid fata puellæ
Acceleras? cupit in medios evadere fluctus
Infelix; cupit insuetum finire dolorem.
At tibi nec curæ est, quod eam Neptunia monstra
Circumstent, mare nec rapido quod sorbeat æstu.
Ah! miser, ah! male caute, ultra quid brachia tendis?
Siste gradum; riget illa jugis adsueta nivosis
Venatrix, quam mille feræ timuere sequentem
Per saltus: vos hanc, Panope, vos candida Drymo,
Cymothoëque, Rhoëque, Pherusaque, Dinameneque,
Accipite; et vestris sociam lustrate choreis.
Tum canit antiquas sedes, opulentaque regna
Auricomæ Sirenis, et altum in monte sepulcrum,
Sacraque Chalcidicosque deos, magnisque per æquor
Auspiciis vectas hæc ipsa ad littora classes.
Tum liquidos fontes subter cava mœnia ducit,
Attollitque arces, et culmina montibus æquat
Tectorum: vastas protendit in æquora moles,
Euploeamque procul trepidis dat cernere nautis,

Atque Pharon jungit scopulos, præruptaque saxa
Theleboûm, Sarnique amnes, et pinguia culta.
Tum canit, ut Corydona sacro Melisæus in antro
Viderit, et calamos labris admoverit audax,
Formosum quibus ille olim cantarat Alexin,
Dixerat et musam Damonis, et Alphesibœi:
Queis fretus, dictante dea, tot sidera nobis
Prodiderit, tantas cœli patefecerit oras.
Quid referam aut Stabias, aut quæ tenuisse canoris
Virginibus fama est abeuntes saxa carinas?
Aut ut terrifici sonitus ignemque Vesevi,
Et desolatas passim defleverit urbes?
Postremo reges, regumque ex ordine pugnas
Enumerat; bellique artes, et præmia narrat.
Addit tristia fata, et te, quem luget ademptum
Italia infelix, (sive id gravis ira deorum,
Seu sors dura tulit) trans altas evehit Alpes,
Mox agit Oceani prope littora; denique sistit
Spumantem ad Ligerim, parvaque includit in urna.
Heu sortem miserandam! heu pectora cæca futuri!
Hæccine te fessum tellus extrema manebat
Hospitiis, post tot terræque marisque labores?
Pone tamen gemitus: nec te monumenta parentum,
Aut moveant sperata tuis tibi funera regnis:
Grata quies patriæ; sed et omnis terra sepulcrum.
Hæc ille, et quæ vix audita prioribus annis
Heroum longæva queat meminisse vetustas
Commemorat: socio respondent æquora plausu;
Luna suam donec paulatim fundere lucem
Cœpit, et ad vitreas redierunt numina sedes.

BALTHASARIS CASTILIONII

POEMATA.

CLEOPATRA.

Marmore quisquis in hoc sævis admorsa colubris
Brachia, et æterna torpentia lumina nocte
Adspicis, invitam ne crede occumbere letho.
Victores vetuere diu me abrumpere vitam,
Regina ut veherer celebri captiva triumpho
Scilicet, et nuribus parerem serva Latinis,
Illa ego progenies tot ducta ab origine regum,
Quam Pharii coluit gens fortunata Canopi,
Deliciis fovitque suis Ægyptia tellus,
Atque Oriens omnis divûm dignatus honore est.
Sed virtus, pulchræque necis generosa cupido,
Vicit vitæ ignominiam, insidiasque tyranni :
Libertas nam parta nece est, nec vincula sensi,
Umbraque Tartareas descendi libera ad undas.
Quod licuisse mihi indignatus perfidus hostis,
Sævitiæ insanis stimulis exarsit, et ira ;
Namque triumphali invectus Capitolia curru

Insignes inter titulos, gentesque subactas,
Extinctæ infelix simulaerum duxit, et amens
Spectaclo explevit crudelia lumina inani.
Neu longæva vetustas facti famam aboleret,
Aut seris mea sors ignota nepotibus esset,
Effigiem excudi spiranti e marmore jussit,
Testari et casus fatum miserabile nostri.
Quam deinde, ingenium artificis miratus Iulus
Egregium, celebri visendam sede locavit
Signa inter veterum heroum, saxoque perennes
Supposuit lacrimas, ægræ solatia mentis:
Optatæ non ut deflerem gaudia mortis,
Nam mihi nec lacrimas lethali vipera morsu
Excussit, nec mors ullum intulit ipsa timorem;
Sed caro ut cineri et dilecti conjugis umbræ
Æternas lacrimas, æterni pignus amoris,
Mœsta darem, inferiasque inopes, et tristia dona.
Has etiam tamen infensi rapuere Quirites.
At tu, magne Leo, divûm genus, aurea sub quo
Sæcula, et antiquæ redierunt laudis honores,
Si te præsidium miseris mortalibus ipse
Omnipotens Pater æthereo demisit Olympo,
Et tua si immensæ virtuti est æqua potestas,
Munificaque manu dispensas dona deorum,
Annue supplicibus votis, nec vana precari
Me sine: parva peto; lacrimas, Pater optime, redde,
Redde, oro, fletum; fletus mihi muneris instar,
Improba quando aliud nil jam Fortuna reliquit.
At Niobe, ausa deos scelerata incessere lingua,
Induerit licet in durum præcordia marmor,

Flet tamen, assiduusque liquor de marmore manat.
Vita mihi dispar; vixi sine crimine, si non
Crimen amare vocas: fletus solamen amantum est.
Adde, quod afflictis nostræ jucunda voluptas
Sunt lacrimæ, dulcesque invitant murmure somnos:
Et cum exusta siti Icarius canis arva perurit,
Huc potum veniunt volucres, circumque supraque
Frondibus insultant; tenero tum gramine læta
Terra viret, rutilantque suis poma aurea ramis;
Hic ubi odoratum surgens densa nemus umbra
Hesperidum dites truncos non invidet hortis.

ALCON.

Ereptum fatis primo sub flore juventæ,
Alconem nemorum decus, et solatia amantum,
Quem toties Fauni et Dryades sensere canentem,
Quem toties Pan est, toties miratus Apollo,
Flebant pastores; ante omnes carus Iolas,
Tristia perfundens lacrimis manantibus ora,
Crudeles superos, crudeliaque astra vocabat.
Ut gemit amissos fœtus Philomela sub umbris,
Aut qualis socia viduatus compare turtur,
Quam procul incautam quercu speculatus ab alta
Immitis calamo pastor dejecit acuto,
Non viridi sedit ramo, non gramine læto,
Non vitrei dulcem libavit fluminis undam,
Sed gemitu amissos tantum testatus amores,

Languidulus mœstis complet nemora alta querelis.
Nulla dies miserum lacrimis sine vidit ſolam,
Nec cum Sol oritur, nec cum se condit in undas:
Non illi pecudes, non pingues pascere tauros
Cura erat, aut pastos ad flumina ducere potum,
Hœdorumve gregem aut vitulos includere septis:
Tantum inter silvas, aut solo in littore secum
Perditus, et seræ oblitus decedere nocti,
Rupibus hæc frustra et surdis jactabat arenis.
Alcon deliciæ Musarum et Apollinis, Alcon
Pars animæ, cordis pars Alcon maxima nostri,
Et dolor, his lacrimas oculis habiture perennes,
Quis deus, aut quis te casus, miser, abstulit? ergo
Optima quæque rapit duri inclementia fati?
Ergo bonis tantum est aliquod male numen amicum?
Non metit ante diem lactentes messor aristas,
Immatura rudis non carpit poma colonus;
At fera te ante diem mors nigro immersit Averno,
Injecitque manus rapidas crescentibus annis.
Heu miserande puer! tecum solatia ruris,
Tecum Amor et Charites periere, et gaudia nostra.
Arboribus cecidere comæ, spoliataque honore est
Silva suo, solitasque negat pastoribus umbras.
Prata suum amisere decus, morientibus herbis
Arida; sunt sicci fontes, et flumina sicca.
Infœcunda carent promissis frugibus arva,
Et mala crescentes rubigo exedit aristas.
Squalor tristis habet pecudes, pecudumque magistros:
Impastus stabulis sævit lupus, ubere raptos

Dilaniatque ferus miseris cum matribus agnos;
Perque canes prædam impavidus pastoribus aufert.
Nil nisi triste sonant et silvæ, et pascua, et amnes,
Et liquidi fontes; tua tristia funera flerunt,
Et liquidi fontes, et silvæ, et pascua, et amnes.
Heu miserande puer! tangunt tua funera divos.
Per nemora agricolæ flentes videre Napæas,
Panaque, Silvanumque, et capripedes Satyriscos.
Sed neque jam lacrimis aut questu fata moventur
Impia, nec nostras audit mors surda querelas.
Vomeribus succisa suis moriuntur in arvis
Gramina, deinde iterum viridi de cespite surgunt;
Rupta semel non deinde annectunt stamina Parcæ.
Adspice, decedens jam sol declivis Olympo
Occidit, et moriens accendit sidera cœlo;
Sed tamen occiduo cum laverit æquore currus,
Idem iterum terras orienti luce reviset.
Ast ubi nigra semel duræ nos flumina mortis
Lavere, et clausa est immitis janua regni,
Nulla unquam ad superos ducit via; lumina somnus
Urget perpetuus, tenebrisque involvit amaris:
Tunc lacrimæ incassum, tunc irrita vota, precesque
Funduntur; fert vota Notus, lacrimasque, precesque.
Heu miserande puer, fatis surrepte malignis!
Non ego te posthac, pastorum adstante corona,
Victorem adspiciam volucri certare sagitta,
Aut jaculo, aut dura socios superare palæstra.
Non tecum posthac molli resupinus in umbra
Effugiam longos æstivo tempore soles;
Non tua vicinos mulcebit fistula montes,

Docta nec umbrosæ resonabunt carmina valles:
Non tua corticibus toties inscripta Lycoris,
Atque ignis Galatea meus, non jam simul ambos
Audierint ambæ nostros cantare furores.
Nos etenim a teneris simul usque huc viximus annis,
Frigora pertulimusque æstus, noctesque, diesque,
Communique simul sunt pasta armenta labore.
Rura mea hæc tecum communia; viximus una;
Te moriente igitur cur nam mihi vita relicta est?
Heu male me ira deûm patriis abduxit ab oris!
Ne manibus premerem morientia lumina amici,
Aut abeuntis adhuc supremum animæ halitum in auras
Exciperem ore meo, gelidis atque oscula labris.
Invideo, Leucippe, tibi; suprema dolenti
Deficiens mandata bonus tibi præbuit Alcon,
Spectavitque tuos morienti lumine vultus:
Frigida tu mœsto imposuisti membra feretro,
Sparsisti et lacrimis bustum, ingratumque sepulcrum:
Inde ubi defletum satis est, et justa peracta,
Alconem ad manes felix comes usque secutus,
Amisso vitam socio non passus inertem es;
Et nunc Elysia lætus spatiaris in umbra,
Alcone et frueris dulci, æternumque frueris.
Atque aliquis forsan pastor pius ossa sepulcro
Uno eodemque simul florentis margine ripæ,
Amborum sacro manes veneratus honore,
Composuit, lacrimasque ambobus fudit easdem.
Ast ego nec tristes lacrimas in funere fudi,
Debita nec misero persolvi justa sodali.
Quin etiam, sortis duræ ignarusque malorum,

Vana mihi incassum fingebam somnia demens.
Hæc ego rura colam celeberrima; tum meus Alcon
Huc veniet linquens colles, et inhospita saxa,
Infectasque undas, et pabula dira veneno,
Molliaque inviset prata hæc fluviosque salubres.
Occurram longe, et venientem primus amicum
Agnoscam; primus caris complexibus ora
Impediam; excutient hilares nova gaudia fletus.
Sic tandem optato læti sermone fruemur,
Ærumnasque graves, olim et transacta vicissim
Damna referre simul, rursusque audire juvabit:
Tum veteres sensim fando repetemus amores,
Deliciasque inter pastorum, et dulcia ruris
Otia, securæ peragemus tempora vitæ.
Hæc amat arva Ceres, juga Bacchus, pascua Apollo;
Ipsa Pales herbas pecori, lac sufficit agnis.
Montibus his passim teneræ assuevere Napææ
Sæpe feras agitare, et sæpe agitare choreas.
Hic redolens sacros primævæ gentis honores
Perluit antiquas Tiberis decora alta ruinas.
Hic umbræ nemorum, hic fontes, hic frigida Tempe,
Formosum hic pastor Corydon cantavit Alexin.
Ergo ades, o dilecte puer: te pascua et amnes
Expectant; tibi jam contexunt florea serta,
Adventuque tuo testantur gaudia Nymphæ,
Summittitque novos tellus tibi dædala flores.
Hæc ego fingebam miser, ah! spe ductus inani,
Nescius omne nefas morti fatisque licere.
At postquam frustrata leves abiere per auras
Vota mea, et vivos Alconis cernere vultus

Non licuit, vivasque audire et reddere voces,
Huc saltem, o saltem umbra levi per inania lapsu
Advolet, et nostros tandem miserata dolores,
Accipiat lacrimas, imo et suspiria corde
Eruta, quasque cava hæc responsant antra querelas.
Ipse meis manibus ripa hac Atticiis inanem
Constituam tumulum, nostri solatia luctus,
Atque addam pia thura focis, manesque ciebo.
Vos mecum o pueri beneolentes spargite flores,
Narcissum, atque rosas, et suave rubentem hyacinthum,
Atque umbras hedera lauroque inducite opacas.
Nec desint casiæ, permixtaque cinnama amomo,
Excitet ut dulces aspirans ventus odores.
Nos Alcon dilexit multum, et dignus amari
Ipse fuit nobis, et tali dignus honore:
Interea violas intertexent amaranthis,
Et tumulo spargent flores et serta Napææ,
Et tumulo mœstæ inscribent miserabile carmen;
Alconem postquam rapuerunt impia fata,
Collacrimant duri montes, et consitus atra est
Nocte dies; sunt candida nigra, et dulcia amara.

PROSOPOPŒIA LUDOV. PICI MIRANDULANI.

Credite mortales, animæ post fata supersunt,
Diraque mors nostri nil nisi corpus habet.
Fabula nec manes vana est exire sepulcris
Per noctem, tenebris et volitare vagos.
Nam modo, dum nostro Mirandula milite cincta est,
Vidi ego vera quidem, sed caritura fide.
Nox erat, et noctem superans candore nivali
Clara repercusso lumine luna magis;
Ipse ego sub muris fossa defensus opaca
Scrutabar, tutum qua magis esset iter:
Adstitit hic subito manifestus mœnibus ipsis
Ante oculos Picus visus adesse meos.
Tristis erat facies, atroque inspersa cruore,
Et lacerum ambusto tunc quoque crine caput.
Obstupui, gelidusque tremor per membra cucurrit,
Et subito arrecta est hirta timore coma.
Ille autem torvum despectans castra repente
Infremuit, gemitu solvit et ora gravi.
O Pater, o pastor populorum, o maxime mundi
Arbiter, humanum qui genus omne regis,
Justitiæ pacisque dator, placidæque quietis,
Credita cui soli est vita salusque hominum,

Quem deus ipse Erebi fecit Cœlique potentem,
Ut nutu pateant utraque regna tuo,
Quid potui tantum infelix committere? culpa
Aut mea quæ nam in te tam gravis esse potest?
Ut patriam, natumque meum, uxoremque, laresque,
Perdere, et excidio vertere cuncta velis?
Certe ego te propter caput objectare periclis,
Nec timui toties velle subire necem.
Felsina cum imperium jam detrectaret, et in te
Tristia civilis sumeret arma furor,
Hæc mea dextra tuos armis compescuit hostes,
Et letho multos sanguinolenta dedit.
Denique, dum innumeris cupio te ornare triumphis,
Sanguinis ipse mei prodigus occubui.
Vulnera testantur nostros hæc sæva labores,
Implorantque tuam, nomen inane, fidem.
Flens tener in cunis vagitu natus amaro
Pollicitis queritur pondus abesse tuis.
Tot perpessa graves conjux miseranda labores
Supplicibus veniam mœsta petit lacrimis.
Stant miseri squalore patres, trepidæque puellæ,
Et matrum passis flet pia turba comis.
Omnes in te animum jam convertere, rogantque
Ut tua det fessis dextera rebus opem.
Adspice captivis vacuos cultoribus agros,
Abductas pecudes, agricolasque boves,
Disjectasque domos passim, populataque raptis
Arboribus late, et frugibus arva suis.
Tu vero ulterius lacrimis dulcissima conjux
Et gemitu manes lædere parce meos:

Postquam nulla potest mitis clementia diræ
Consilium mentis flectere, nec pietas;
Effuge, quodque unum est nostri tibi pignus amoris,
Dulce onus hinc ulnis fer puerum ipsa tuis.
Nec mea discedens saxo hic clausa ossa relinque
Condita; sed caro tecum habeas gremio;
Ne rabie immani tumulo sint eruta avito,
Et jaceant media semisepulta via.
Hæc speranda mihi, postquam sectatur et umbram,
Sævit et in cineres mens male grata meos,
Nec sinit inferias nostro te ferre sepulcro,
Annuaque extincto reddere justa viro.
Sed tamen et superi cernunt mortalia, habetque
Justitiæ ultorem dextra minax gladium;
Inque malos, sit lenta licet, certa ira deorum est,
Pœnaque tam gravior, quam mage sera venit.
Nec longum nostro lætabitur impius hostis
Sanguine: fata illum non leviora manent.
Hæc ille, et plura his; sed verba extrema loquentis
Terribilis nostro rupit in aure sonus.
Nam subito ingenti tormenta impulsa ruina
Increpuere; gravi terra tremit sonitu.
Fulminei ingeminant ictus, volat impete diro
Ferrea sulphureo concita ab igne pila.
Mœnia tum nutant labefacta; at tristis imago
In tenebras querulo mœsta abiit gemitu.

ELEGIA QUA FINGIT HIPPOLYTEN SUAM AD SE IPSUM SCRIBENTEM.

Hippolyte mittit mandata hæc Castilioni,
Addideram imprudens, hei mihi, pæne suo.
Te tua Roma tenet, mihi quam narrare solebas,
Unam delicias esse hominum atque deûm:
Hoc quoque nunc major, quod magno est aucta Leone,
Tam bene pacati qui imperium orbis habet.
Hic tibi nec desunt celeberrima turba sodales,
Apta oculos etiam multa tenere tuos.
Nam modo tot priscæ spectas miracula gentis,
Heroum et titulis clara tropæa suis:
Nunc Vaticani surgentia marmore templa,
Et quæ porticibus aurea tecta nitent:
Irriguos fontes, hortosque, et amœna vireta,
Plurima quæ umbroso margine Tibris habet.
Utque ferunt, cœtu convivia læta frequenti,
Et celebras lentis otia mista jocis:
Aut cithara æstivum attenuas cantuque calorem.
Hei mihi, quam dispar nunc mea vita tuæ est!
Nec mihi displiceant quæ sunt tibi grata, sed ipsa est
Te sine lux oculis pæne inimica meis.

Non auro aut gemma caput exornare nitenti
Me juvat, aut Arabo spargere odore comas:
Non celebres ludos festis spectare diebus,
Cum populi complet densa corona forum,
Et ferus in media exultat gladiator arena,
Hasta concurrit vel cataphractus eques.
Sola tuos vultus referens, Raphaëlis imago
Picta manu, curas allevat usque meas.
Huic ego delicias facio, arrideoque jocorque,
Alloquor, et tanquam reddere verba queat,
Assensu nutuque mihi sæpe illa videtur
Dicere velle aliquid, et tua verba loqui;
Agnoscit, balboque patrem puer ore salutat:
Hoc solor longos decipioque dies.
At quicunque istinc ad nos accesserit hospes,
Hunc ego quid dicas, quid faciasve, rogo;
Cuncta mihi de te incutiunt audita timorem:
Vano etiam absentes sæpe timore pavent.
Sed mihi nescio quis narravit sæpe tumultus,
Miscerique neces per fora, perque vias,
Cum populi pars hæc Ursum, pars illa Columnam
Invocat, et trepida corripit arma manu.
Ne tu, ne quæso tantis te immitte periclis;
Sat tibi sit tuto posse redire domum.
Romæ etiam fama est cultas habitare puellas,
Sed quæ lascivo turpiter igne calent.
Illis venalis forma est, corpusque, pudorque;
His tu blanditiis ne capiare, cave.
Sed nisi jam captum blanda hæc te vincla tenerent,
Tam longas absens non paterere moras.

Nam memini, cum te vivum jurare solebas
Non me, si cupias, posse carere diu.
Vivis, Castilion, vivasque beatius, opto,
Nec tibi jam durum est me caruisse diu.
Cur tua mutata est igitur mens? cur prior ille,
Ille tuo nostri corde refrixit amor?
Cur tibi nunc videor vilis, nec, ut ante solebam,
Digna tori sociam quam patiare tui?
Scilicet in ventos promissa abiere, fidesque,
A nostris simul ac vestri abiere oculi.
Et tibi nunc forsan subeunt fastidia nostri,
Et grave jam Hippolytes nomen in aure tua est.
Verum ut me fugias, patriam fugis, improbe? nec te
Cara parens, nati nec pia cura tenet?
Quid queror? en tua scribenti mihi epistola venit,
Grata quidem, dictis si modo certa fides;
Te nostri desiderio languere, pedemque
Quam primum ad patrios velle referre lares,
Torquerique mora, sed magni jussa Leonis
Jamdudum reditus detinuisse tuos.
His ego perlectis sic ad tua verba revixi,
Surgere ut æstivis imbribus herba solet.
Quæ licet ex toto non ausim vera fateri,
Qualiacunque tamen credulitate juvant.
Credam ego, quod fieri cupio, votisque favebo
Ipsa meis: vera hæc quis vetet esse tamen?
Nec tibi sunt præcordia ferrea, nec tibi dura
Ubera in Alpinis cautibus ursa dedit.
Nec culpanda tua est mora: nam præcepta deorum
Non fas, nec tutum est spernere velle homini.

Esse tamen fertur clementia tanta Leonis,
Ut facili humanas audiat aure preces.
Tu modo et illius numen veneratus adora,
Pronaque sacratis oscula da pedibus:
Cumque tua attuleris supplex vota, adjice nostra,
Atque meo largas nomine funde preces.
Aut jubeat te jam properare ad mœnia Mantus,
Aut me Romanas tecum habitare domos.
Namque ego sum sine te, veluti spoliata magistro
Cymba, procellosi quam rapit unda maris.
Et data cum tibi sim utroque orba puella parente,
Solus tu mihi vir, solus uterque parens.
Nunc nimis ingrata est vita hæc mihi; namque ego tantum
Tecum vivere amem, tecum obeamque libens.
Præstabit veniam mitis deus ille roganti,
Auspiciisque bonis, et bene, dicet, eas.
Ocyus huc celeres mannos conscende viator,
Atque moras omnes rumpe, viamque vora.
Te læta excipiet, festisque ornata coronis,
Et domini adventum sentiet ipsa domus.
Vota ego persolvam templo, inscribamque tabellæ;
Hippolyte salvi conjugis ob reditum.

DE MORTE RAPHAELIS PICTORIS.

Quod lacerum corpus medica sanaverit arte,
Hippolitum Stygiis et revocarit aquis,
Ad Stygias ipse est raptus Epidaurius undas;
Sic pretium vitæ mors fuit artifici.
Tu quoque dum toto laniatam corpore Romam
Componis miro, Raphaël, ingenio;
Atque urbis lacerum ferro, igni, annisque cadaver
Ad vitam, antiquum jam revocasque decus;
Movisti superûm invidiam; indignataque mors est,
Te dudum extinctis reddere posse animam;
Et quod longa dies paulatim aboleverat, hoc te
Mortali spreta lege parare iterum.
Sic miser heu prima cadis intercepte juventa;
Deberi et morti nostraque nosque mones.

IN CUPIDINEM PRAXITELIS.

Hic Amor Herculea sopitus pelle quiescit:
Pulvinum capiti subdita clava facit.
Has nunc exuvias præfert, magno Hercule victo:
Pro pelle, et clava nunc gerit ille colum.
At puerum Veneris somno, et sudore madentem
Praxiteles Parium transtulit in lapidem.
Tu vero, hospes, abi, aut leni dic verba susurro;
Ne somnum excussum forte queratur Amor.
Ille quidem abjecitque facem, abjecitque pharetram:
Pro face, pro pharetra, clava timenda tibi est.

PETRI BEMBI

BENACUS.

Te, Giberte, cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes:
Sit modo non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa vocat; nec eam ventura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum brevibus voluisse intexere chartis.
Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas,
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atque dei lætis implevit vocibus aures,
Advenisse diem, quo formosissima terræ
Ausoniæ Verona sacris, templisque regendis
Demissum cœlo, et magnis virtutibus auctum
Acciperet juvenem, qualem vix ipsa petebat;
Forte pater gelido in luco, silvaque virenti,
Fontibus et rivis, cubito subnixus et urnæ,
Jura dabat: cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, vestemque parabant
Cæruleam innumeræ, nodis ac retibus aureis
Collectos comptæ crines tempusque decorum,
Incinctæque auro surasque sinusque fluentes,
Vestibulo in thalami natæ, niveosque lacertos
Nudabant operi; quo pulchro ex agmine Sirme,
Docta lyræ digitis percurrere fila, canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque, Saloque
Reddebant: sol æstivos circumvagus orbes

Axe terens, medio currum librabat Olympo.
Ergo avidis allata deus postquam auribus hausit,
Promissosque olim fatis sibi lætus honores
Agnovit, tangens hærentem uligine barbam,
Demulcensque manu, jussit vicina vocari
Flumina: dein sese placidum conveha sub alta
Speluncæ senior, solitaque in sede recepit.
Postera jam cœlo stellas noctemque fugarat,
Lustrabatque dies multo terrasque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in undis,
Piscosusque altas involvens Lambrus arenas.
Venit et indigenis fœcundans Ollius arva
Deductus rivis, et cultos Abdua campos
Amne secans, fulvo ripasque interlitus auro.
Nec rapidus, fluvioque Athesis spectandus amœno
Defuit, aut Patavi circumque intraque pererrans
Mœnia Medoacus triplici circumdata muro;
Mœnia, quæ positor pugnas et bella perosus
Musarum Iliacus studiis Phœboque sacravit:
Populiferve Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alveo,
Ubera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seque mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atque alios velatus arundine crinem
Mincius excepit venientes limine primo
Obvius, atque in tecta parentis saxea duxit,
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simul ac udos posuere sedilibus artus,
Crystallo rigida fultis, et iaspide glauca,
Continuo nymphæ mensas ante ora deorum

Speluncæ in medio niveis mantilibus aptæ.
Consternunt, dapibusque onerant, Dictæaque plena
Vina ferunt referuntque manu, calicesque madentes
Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis
Purpureoque rosæ, Medorumque arboris albo;
Medorum quondam, sed quæ nunc plurima lætas
Benaci vestit ripas, non illa caduca
Fronde virens, suavique auras permulcet odore.
Post ubi prima quies epulis, deus ipse magister
Undisonique lacus domitor, præsentia circum
Numina respiciens, his vocibus ora resolvit:
Quod votis toties nequidquam optavimus unum
Vobiscum, divi, fausto modo sidere luces
Vertentes, luces fatorum orbisque ministræ,
Advexere: vehit pleno bona copia cornu,
Largaque pomifera prætendit munera dextra.
Quare vos, primo longævi a semine mundi
In mare fluctisonum prono labentia cursu,
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Flos etenim juvenum, longa formidine sæcla
Perdita qui solvat, quique agglomerata malorum
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipsi,
Bactra ultra, Thylemque ultra, Scythiamque releget,
Quique urbes, quique arva colat, Jove missus ab ipso est.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Hic primum miseris viduatas civibus urbes
Accipiens, vacuosque suis cultoribus agros,
Replebit numerum exæquans augensque priorem;
Oppidaque ingenti multum quassata ruina,
Prostratisque solo late mœrentia tectis,

Restituet, pulchroque dabit splendescere vultu.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Magno namque pii juvenis devinctus amore
Etruscus pater, excelsas qui Tibridis arces
Possidet, et nutu Romanum temperat orbem,
Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenii monumenta, et sancti pectoris artes,
Suspiciens, obitosque invicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permisit habenas.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Quid memorem, ut tener et primæ sub flore juventæ
Ingentem ad ludum properaverit auspicibus diis?
Indole dein quanta nixus, quam fortibus ausis,
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
Sic undas rerum excipiens, et plena pericli
Multa diu, casus victor superaverit omnes?
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Versantem, luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitansque viam obstrueret torrentibus imber,
Pœninas vel per fauces, tractusque volantem
Aërios, summo miseratæ e vertice Nymphæ
Optavere graves cohiberent nubila nimbos.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti
Astitit unigena proles Jovis, ut bona mater:
Ut mater bona, quæ caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos et verba loquentis,

Ipse meas artes jam nunc tibi, dixit, habeto.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluviorum nemorumque ferax, pecudumque virûmque
Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis;
Diversosque jugo ad ventos, interque cadentem
Surgentemque diem, longo protenta Pyrene,
Altis quæ geminas despectat frontibus undas;
Tum dictis factisque potens, illa inclyta bello,
Lataque, et in latas Hispania dissita terras.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Hæ nam te insolita orantem, aversasque suorum
Flectentem regum mentes, Giberte, videbant,
Acceptos conversa sonos cum vocis imago
Redderet, et dociles iterarent nomina ripæ.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Testis et Adriacus, parvo qui flumine Rhenus
Lambit humum: testis Thuscis haud maximus undis,
Major prole virûm, et divinos Arnus honores
Promeritus, cœlum divisque recentibus augens,
Pulchros qui colles, pulchramque intersecat urbem:
Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,
Illius in studiis jamdudum et amore quiescit.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Tu vero, tu, Roma, tui genus ecquid alumni
Jam non curarum, non commemorare laborum
Una potes? tolle egregium per sæcula nomen,
Tolle decus, daque alta virûm volitare per ora.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Ætnæ,

Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens,
Tantum clara virûm Romæ se nomina tollunt.
Illa novos tibi cœlestum concessit honores
Antiquis cumulans; at tu præsentia sæcla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Ecce tibi læto vestit se gramine tellus,
Et tibi silva comas nutrit, tibi pabula surgunt;
Fœcundus mites implet tibi pampinus uvas,
Palladis et nigrum tibi ducit baccâ colorem;
Tum spisso quem rete trahant vel arundine longa,
Flexivagus nostris crescit tibi piscis in undis.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe quæ tibi Parnassi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam,
Et plectrum et citharam, scriptasque ab Apolline chartas,
Æternum quas ediscant, celebrentque minores.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Ut Phœbo, utque Jovi, confectis Græcia lustris
Sacra olim, et pleno posuit certamina campo;
Sacra tibi, ludosque tibi sic Itala tellus
Instituet; sic illa tuo de nomine dicet.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe quæ calathis pôrgunt tibi munera Nymphæ,
Luteolum calthæ florem, casiamque virentem,
Liliaque, violasque, et purpureos hyacinthos,
Haud pôrxisse prius poterant; bella, impia bella,
Pertulimus, dulces et deformavimus agros.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Ut cum lethiferos accendit Sirius ignes,

Rivus aquas, hortus flores, pratum invidet herbas ;
Pallet humi nullo facies depicta colore ;
Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos ;
Intereunt fruges siliqua labente perustæ ;
Arva colit nemo siccis arentia glebis,
Vomeris et durum non admittentia dentem ;
Cuncta jacent nimio cœli contusa calore :
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
At postquam lætos effudit Jupiter imbres,
Rivus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas ;
Ipsa viret tellus ; ripæ, collesque nitescunt ;
Dant segetem sulci ; nemus altas sufficit umbras ;
Poma suos curvant crescentia ponderé ramos ;
Ruris turba deam venerata ligonibus udam
Vertit humum, et putres exercet vomere campos ;
Cuncta vigent cœli fœcundis roribus aucta ;
Nostras sic jucunda manent nunc omnia terras.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
At vos in septem discreti culmina montes,
Tuque pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo
Devehis, hunc olim vobis multosque per annos
Sit satis obtinuisse ; meam mihi jam date partem ;
Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola ;
Et tandem nostris juvenem concedite terris.

JACOBI SADOLETI

POEMATA.

DE LAOCOONTIS STATUA.

Ecce alto terræ e cumulo ingentisque ruinæ
Visceribus, iterum reducem longinqua reduxit
Laocoonta dies, aulis regalibus olim
Qui stetit, atque tuos ornabat, Tite, penates,
Divinæ simulacrum artis; nec docta vetustas
Nobilius spectabat opus; nunc alta revisit
Exemptum tenebris redivivæ mœnia Romæ.
Quid primum summumve loquar? miserumne parentem
Et prolem geminam? an sinuatos flexibus angues
Terribili aspectu? caudasque, irasque draconum,
Vulneraque, et veros, saxo moriente, dolores?
Horret ad hæc animus, mutaque ab imagine pulsat
Pectora non parvo pietas commixta tremori.
Prolixum bini spiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri, et sinuosis orbibus aram,
Ternaque multiplici constringunt corpora nexu,
Vix oculi sufferre valent crudele tuendo
Exitium, casusque feros; micat alter, et ipsum
Laocoonta petit, totumque infraque supraque

Implicat, et rabido tandem ferit ilia morsu.
Connexum refugit corpus; torquentia sese
Membra, latusque retro sinuatum a vulnere cernas.
Ille dolore acri, et laniatu impulsus acerbo
Dat gemitum ingentem, crudosque avellere dentes
Connixus, lævam impatiens ad terga chelydri
Objicit: intendunt nervi, collectaque ab omni
Corpore vis frustra summis conatibus instat.
Ferre nequit rabiem, et de vulnere murmur anhelum est.
At serpens lapsu crebro redeunte subintrat
Lubricus, intortoque ligat genua infima nodo.
Crus tumet, obsepto turgent vitalia pulsu,
Liventesque atro distendunt sanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera sævit,
Amplexuque angit rabido, miserandaque membra
Dilacerat: jamque alterius depasta cruentum
Pectus, suprema genitorem voce cientis,
Circumjectu orbis, validoque volumine fulcit.
Alter adhuc nullo violatus corpora morsu,
Dum parat adducta caudam divellere planta,
Horret ad aspectum miseri patris, hæret in illo;
Et jam jam ingentes fletus, lacrimasque cadentes
Anceps in dubio retinet timor. Ergo perenni
Qui tantum statuistis opus jam laude nitentes,
Artifices magni! quanquam et melioribus actis
Quæritur æternum nomen, multoque licebat
Clarius ingenium venturæ tradere famæ;
Attamen ad laudem quæcunque oblata facultas,
Egregium hanc rapere, et summa ad fastigia niti.
Vos rigidum lapidem vivis animare figuris

Eximii, et vivos spirantî in marmore sensus
Inserere aspicimus, motumque iramque dolorem que,
Et pene audimus gemitus; vos obtulit olim
Clara Rhodos; vestræ jacuerunt artis honores
Tempore ab immenso, quos rursum in luce secunda
Roma videt, celebratque frequens; operisque vetusti
Gratia parta recens. Quanto præstantius ergo est
Ingenio, aut quovis extendere fata labore,
Quam fastus, et opes, et inanem extendere luxum.

DE QUINTO CURTIO.

Ire per æternos ævi venientis honores
Conspicuum meritis, et jugi vivere fama
Fas illum est, quem fata vocant, cui pectore præsens
Excubat, atque animum cœlo adjicit ignea virtus;
Cujus sæpe sagax trepidis prudentia rebus
Vestigavit opem, docuitque haud sera senatum;
Sive armis ille, et dextra, seu morte cadentem
Servavit patriam, atque hostes in funere vicit.
Nec tamen est decorum tantorum maxima merces
Laude hominum, aut positis trivio spectanda tropæis,
Quamvis longa datum struerent in sæcula nomen;
Verum illuc melior spes evocat, unde recepti
In lucem sumus, ac patrios revocamur ad ortus,
Cum cœlum, superosque lares, axemque serenum
Suspicimus, rapido circum qui sidera flexu
Torquet, et immensos actis ciet orbibus orbes.

Hunc pater omnipotens alterna luce micantem
Constituit, nec non pulchra in spectacula claris
Ignibus et multo stellantem insigniit auro,
Dignam sedem animis præstantibus; illa deorum,
Illa domus nobis patria est; hic nobile magnæ
Accipiunt pretium, regnantque per æthera mentes.
Sed fuit hoc olim; superas evadere ad arces,
Regia tecta deûm, cœtu meruere frequenti
Magnanimi heroës; priscis quos extulit annis
Tunc, cum larga ducum fundebat semina, tellus.
At nunc (quandoquidem hæc turpi consumpta veterno
Jampridem infelix, inhonoraque tabuit ætas,
Et cecidit decus, et dominantûm more sinistro
Ejectum ingenium, virtusque facessere jussa est)
Nos veterum facta haud segnes repetamus avorum
Fortia, et ad priscum curam hanc vertamus honorem,
Qua fortuna sinit, quantum est concessa facultas.
Sitque prior, quem non metus, et gravis ira deorum
Terruit, abyssæ non monstra immania terræ,
Quin facto egregio infernis se traderet aris.
Nam sive infensis Capitolî arcisque Lycææ
Præsidibus superis, clausi seu turbinis æstu
Mota loco tellus spatii discrimine vasto
Abstiterat, medioque foro patefacta vorago
Abrupta in præceps immensa, orisque profundi
Summotas reserans fauces (trepidabile visu)
Tartaream ad noctem, ac sedes penetrârat Avernas,
Intuleratque diem, cœloque refuderat umbram.
Prodigium horrendum! ceu nigro abduntur hiatu
Tænara Cumææque domus latebrosa Sibyllæ.

Extemplo exciti monstro populusque patresque
Concursu approperant magno, et de collibus altis
Densi aspectantes, Stygii ut portenta sepulcri,
Atque atram videre luem, rimosaque circum
Æquora, et immani jam jam vi rupta barathro,
Perculsis stupuere animis; tum frigidus artus
Concussit tremor, et subito per membra cucurrit;
Nec jam stare gradu, aut tumulis sublimibus audent;
Sub pedibus late scindi, infidumque labare
Omne solum, collesque ipsi subsidere in ima
Tartara, et obscura mergi sub nocte videntur.
Jamque metu trepidos, subitaque redire volentes
Inde fuga fallit conatus; ægra receptum
Genua negant; gelido concretis sanguine fibris,
Nec vires membris notæ, nec vox sonat ore.
Ac veluti si quando truci sub imagine somni
Declivi e scopulo ripave horremus ab atra
Præcipitem casum, refugit calor ossibus omnis,
Et vires et membra cadunt, non anxia vocem
Verba sonant, pressos sopor et timor alligat artus;
Haud secus Æneadæ gelida formidine tardos
Implicuere gradus, nec vis sua tollit euntes,
Spectantesque fugam, prorsusque extrema trementes.
Tandem ubi gliscenti gravis est mora visa periclo,
Incubuitque malum violentius, et metus alter
Excussit stupidos, ac mentis reddidit usum;
Quærere opem rebus summis, et nitier omni
Auxilio, raptimque cavas explere latebras
Aggere projecto, et congestis molibus instant.
Incassum labor omnis, et irreparabile damnum

Humanam contemnit opem; spes una superstes,
Siquis apud divos veniæ locus: ergo per omnes
Ire aras pueri et matres, timidæque puellæ
Supplicibus votis certatim exposcere pacem
Numina sancta deûm, cœloque extendere palmas.
Nec minus interea Tyrrhenæ gentis aruspex
Fata aperit, sic divinis monstrantibus extis,
Ore canens: O Dardanii spes inclyta Iuli,
Mars pater, astrifero genus et cui nobile cœlo
Et virtute fidem et præstantibus adstruit armis;
Non hæc cœlicolûm grave et implacabile numen,
Nunc portenta novat, sed hianti luridus Orco
Eumenidum dolor, et ruptæ discordia terræ,
Insigni redimenda bono, quo maximus usus
Imperii ad columen, famæque sequentis honorem.
Hanc fati obscuram vocem, monitusque deorum
Concilio exceptos, non unis mentibus omnes
Accipere: ambigui sensus, diversaque patrum
Murmura, nec cunctis eadem est sententia linguis.
Acer erat bello, et primis spectatus in armis
Curtius, eductum Curibus quem antiqua vetustas
Nobilitas laude et serie decorabat avorum.
Namque ferunt, urbis jaceret cum prima superbæ
Fundamenta pater, captaque ex arce Sabini,
Fœminei ultores raptus, jam valle subirent,
Conferrentque aciem, atque anceps fortuna duelli
Ambigeret; facinus clarum, longeque fuisse
Egregiam laudem, et nomen memorabile Curti.
Isque idem (postquam ad pacem versa arma, ducesque
Imperii junxere fidem, dextrasque dedere)

In partem meritò patriæ et præclara vocatus
Præmia, nec studio deinceps, nec defuit usu
Romulidis, longamque dedit descendere prolem.
Tali ortus genere, et proaviti nominis hæres
Curtius, ardenti sæpe in certamine victor,
Quæsieratque manu decus, et virtute tenebat
Exsuperans animi juvenis; sive arduus alto
In pugnam se ferret equo, seu Marte pedestri
Adversum excipiret collatis ictibus hostem.
Huic pater ætheream superi conversor Olympi
Immittit subitò mentem, reseratque latentes
Fatorum ambages, ipsumque in funera posci
Submonet, et dubiæ quæ sit via recta salutis.
Ille ardet, largoque alti hibit ætheris igne,
Divinum spirans; nec jam mortalia cordi.
In patriam quippe et pietas, et funeris atri
Exequiæ laudum æternæ, multusque suorum
Urget amor; tandem, velut æri concitus æstro,
Irrumpit medios testatus numina divûm.
Nec mora, pro patriâ infernis se destinat aris.
Arrectæ mentes cunctorum, omnisque recessit
Pectoribus timor, et cæcis lux reddita rebus
Magnanimi juvenis fato inferiisque propinquis.
Curritur, effusique senes et vulgus inundant
Agglomerantque foro; et si qua despectus in unum est,
Ædesque, tumulosque, et culmina Pallantea,
Tarpeiamque arcem, et divûm fastigia late
Conventu cumulant pleno, addensantque coronas.
  Jamque aderat longa senior cum veste sacerdos
Funereis mœrens vittis, sacrumque litabat

Plutoni Stygio; ast alii nigrosque juvencos,
Et furvas jugulant pecudes; ipse ordine vota
Nuncupat, et juvenem spargit fluvialibus undis,
Voce ciens triplicemque Hecaten, magnamque parentem,
Tergeminosque deos; tum numina dira precatur
Eumenidum, populoque gravem depellit Erinnym.
Stant taciti circum, linguisque silentibus unum,
Unum omnes fixi obtutu, immotique tuentur
Armatum extantem, atque ærata luce coruscum.
Ille autem (nam fata premunt, longasque recusant
Ferre moras) coram vacuum progressus in æquor,
Ut stetit abruptæ titubato in margine ripæ
Pallidus, inque atram dejecit lumina noctem,
Rettulit os rursum cœlo, sublataque tendens
Brachia, in has supplex exsolvit pectora voces.
Dii patrii, quorum auspiciis stat maxima Roma,
Et Pater omnipotens, et nostri sanguinis auctor
Bellator Mavors, Vulcane, paterque Quirine,
Vestalesque foci, Janique biverticis ora,
Audite hæc, sanctumque precanti advertite numen.
Siqua (nefas) virtutem odit crudelis Erinnys,
Ad pœnamque vocat, fraus hic communis abesto;
Unus ego haud segnis dextra, nec frigidus armis,
Hanc animam inferno umbrarum regi, et Stygiis diis,
Devoveo, lucemque volens, aurasque relinquo:
Tantum dura mei fugiant discrimina cives.
Hanc spem, quam patriæ incolumis dant fata, sepulcri
Et mortis comitem posco, ac mecum ire sub umbras.
Tum vos, infensi manes, queis Romula virtus
Displicet, invidiamque movent ingentia facta,

In me omnes conferte iras, et quicquid acerbum est,
Vertite ab excidio patriæ, exitioque meorum;
Ipse luam. Simul hæc dixit, simul adstitit olli
Conspicuusque auro, et Massyli pelle leonis,
Acre fremens bellator equus, quo tendere in hostem
Primus, et obstantes incursu rumpere turmas
Suetus erat, subitaque acies turbare procella.
Hunc ubi terga premens, dorsoque exceptus amico,
Impulit, et notis habilem tremefecit habenis,
Nil mortale putans, animique interritus heros;
Visa hominis major facies, procul ære refulget
Sanguineo galea, et flammis rutila arma coruscant.
Interea cœlo superûm rex magnus ab alto
Urbem Dardaniam aspectans, sævæque superbum
Contemptorem animum mortis, dabat inclyta facti
Præmia, secum animo volvens, curamque fovebat;
Cum lacrimas promptumque ferens mœsto ore dolorem,
Tristis sic medio cœli super axe Quirinus
Alloquitur: O cuncta, pater, qui fata gubernas,
Æternumque regis! en, quo spectata tuorum
Incidit, aut quali damnatur funere virtus.
Non hæc exactis olim speravimus annis,
Cum sedem hanc terræ regno, externisque triumphis,
Romanumque tuo sancibas fœdere nomen:
Atque ante hostili virtutem opponere ferro
Unum opus et labor unus erat; pretiumque laboris
Imperium patriæ, aut lethi sors clara ferebat.
Nunc jam quid superest, aut quam fortuna sinit spem,
Si manes rigidos etiam et fera Tartara contra
Bellandum est? num dicta retro mutata recurrunt

Fata tibi? aut cœpti piget, et sententia versa est?
Et nunc iste quidem juvenis capite improba rerum
Detrimenta luit, vivusque immittitur Orco,
Inscius ullius culpæ. Sic digna rependis
Præmia? virtuti, genitor, hæc gratia prompta est?
Si quod conceptum est in te facinusve scelusve
Æneadis generique meo, te verius ipsum:
Tela dare, et septem repetitis ictibus arces
Fulmine dejicere, ac sedes abolere nepotum,
Sin autem et castæ sunt res, nec justius ulla
Relligione pater coleris, sub numine semper
Roma tuo, puroque tibi meditatur honores,
Parce tuis, pacemque refer. Sic Romulus orsus.
Tum pater, æthereo pellit qui nubila vultu,
Talibus it contra. Nec te dolor iste timentem
Sollicitet, mea progenies; neve aspera fingas
Fata tibi, et cœptos animi dimitte labores;
Urbi Romuleæ late debetur, ab ortu
Quicquid ad occasum rerum jacet, et vaga quicquid
Tethys obit, refluoque adlatant æquora ponto:
Stat fixum hoc, nec fluxa retro sententia mutat.
Quin jam aderit, cum tu Romana in sceptra videbis
Hesperiamque omnem, et gentes transire remotas,
Imperiumque gemmeque tuam; ne triste querare
Supplicium egregii juvenis; non ille sub umbras
Tartareas mœrensve cadens descendet ad imos.
Hunc animum, has mentes, hæc corda excelsa tuorum
Esse velis, fretusque sua virtute Quirites
Et conferre manum fortunæ, et temnere mortem:
Sic etenim via, siderea quæ ducit ad arces,

Et famæ meritum steterit decus. His ubi mœstum
Leniit omnipotens dictis, gemitumque repressit,
Continuo tacitus secum majora volutat.
Stant Jovis ad solium geminæ super astra sorores
Mente satæ æterna, queis cœtu est cura deorum
Adlegisse pios, humanaque nectere divis.
Harum unam Pietatem alto descendere ab axe
Imperat, et Curtî manes adsistere sacros.
Illa Jovi parens, nimbo fulgente per auras
Cincta volat, longamque cito dat tramite lucem;
Qualis sæpe polo saliens sub nocte serena
Stella fugit cursus subito trajecta volucres.
Et jam Tarpeii supra fastigia templi
Adstitit, inque arce extrema delapsa resedit,
Cum juveni visa est mentem majoris imago
Accendisse deæ. Juvat ire in funus et omnes
Præcipitare moras: sonipes sub pondere sueto
Ardet inexpletum exultans; jamque ardua jactat
Brachia, jam pede tundit humum, hinnitusque canoros
Suscitat, et vivos scintillat naribus ignes.
Est locus exstructo suggestu et molibus exstans
Parte fori adversa celeber, quem nomine noto
Rostra vocant; primi unde duces plebisque magistri
Affari populum, atque edicere scita solebant.
Hinc juvenis fræno et ferratis calcibus acrem
Egit equum, lora effundens; hinc fervidus illum
Impulit; attoniti primo motu fremituque
Diriguere omnes, mens et calor ossibus hæsit.
Ille rapit medium campi, cursuque citatum
Quadrupedem vastæ immittens in aperta ruinæ

Dat se in prærupta, atque ingenti rupe secuta
Involvensque ruensque specu descendit ab alto.
Ac velut aërio præceps cum monte revulsum
Saxum ingens in prona ruit, molesque subactas
Volvit, et assultu rapido latera obvia rumpit;
Dant gemitum, lateque fragor geminatur in auras:
Sic tellus, sic præcipiti pulsata ruina
Contremuere fora, et longas referentia voces
Templa sonant; stetit obtutu stupefactus et amens
Intento populus circum, immotusque pependit.
Magnus eques usque attonitis, horrorque, feroxque
Procursus, cladesque viri suprema, moratur
Ante oculos; etiam arma tonant, etiam auribus ingens
Insultat fragor, et torpentia pectora pulsat,
Currentemque diu trepidant, horrentque cadentem.
Ut primum sonitum atque umbras discussit inanes
Reddita mens, cœloque dies oblata sereno est,
Emotæ extemplo curæ, cunctique reversi
Ereptum ad juvenem sensus: viridis subit ætas
Digna deûm potius venia, fatisque secundis,
Et decor et mores placidi: tum clara recursant
Facta animis, tantæque recens pietatis imago,
Verbaque, supremæque preces; quo funere certus
Occiderit, patriasque cadens servaverit arces,
Ultro morte obita, et pallentes missus in oras;
Cum tamen hunc miserum spes desolata parentum,
Conjugis et caræ fletus natique vocarent
Dilecti ad curam laris antiquosque penates:
Tantum illum patriæ et generi tribuisse suorum,
Ut sese exitio et fatis communibus unus

Traderet. Hæc inter liquentia pectora dulcis
Stringere amor, lacrimæque sequi, et crebrescere voces
Laudantûm, ac sortem miserantûm mortis acerbam.
At jam confusum diverso ex agmine murmur
Attollit magis, atque magis jam sparsa solutis
Turba ruit cuneis ; fremitu tonat arduus æther :
Ceu quondam in silvis leni cum flamine primum
Offensæ crepitant frondes, et lenta susurrant
Murmura ; mox valido si turbine fortior Auster
Incubuit, stragemque dedit, strepit omne tumultu
Confusum nemus, et populata cacumina jactat,
Consternitque solum ramis ; it stridor ad auras.
Jamque patres, primique ducum, lectique senatus
Fatorum augurio proceres, quique alta gerebant
Imperia, aut sacros ornabant vellere canos,
Incessu tacito coeuntis ad ostia terræ
Adveniunt, cinguntque lacum : tum cætera circum
Turba premit, cœtusque implet stipata profundos ;
Et nunc hac, rursum hac impulsum fluctuat agmen.
Dant fruges tumulo lætas, et munera prima
Apponunt : pars incensis altaria flammis
Constituunt, peraguntque preces, et rite sacratos
Describunt fines lituo, frontemque, latusque,
Ultimaque ; et meritos grati testantur honores,
Certatim effusi in laudes : hinc nota frequentant
Militiæ decora et murales sæpe coronas,
Defensumque manu civem sociosque receptos,
Indomitumque animi Volscum, vel cominus ense,
Eminus aut jaculo atque irarum vindice dextra
Prostratum ; spolia inde cavis adstantia tectis :

Ut non consilio inferior quam fortibus armis
Sæpe locum insidiis deprenderit ad juga, sæpe
Inclinatam aciem turbataque signa suorum
Acrius intulerit pugnæ, tumasque morantes
Vi junctæ virtutis, equoque obnixus ab alto,
Impulerit: tu non hostili cæde tepentes
Sternere agros, non magnanimûm præferre trophæis
Martia dona ducum, laudis metamque modumque
Esse tuæ decorumve sinis; tu sæva refutas
Portenta, et Stygium præclara morte furorem.
Te diri stupuere amnes; te sancta cadentem
Concilium ad superûm, cernentis ad omnia cœli
Extulit et pietas, et vitæ prodiga virtus.
Salve, certa salus patriæ! tibi præmia mille
Sidereis collata locis, nec plura mereri
Fas homini est; aut si fato quis major eodem
In terram deus ille alto demissus Olympo.
Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes,
Quantum animi linguæque valent, non gratia deerit,
Non amor, officiove decus; celebrabere grati
Voce ævi, generisque tui servator et urbis.
Nec minus interea lacus hic, quem funere magno
Implêsti moriens, facti immortalis honore
Perpetuum sanctumque tuum et memorabile nomen
Proferet, æternæque aram virtutis habebit.

HIERONYMI FRACASTORII

SYPHILIS.

AD PETRUM BEMBUM.

LIB. I.

Qui casus rerum varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per sæcula visum
Attulerint; nostra qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiæ, Libyæque per urbes
Sæviit; in Latium vero per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit;
Necnon et quæ cura, et opis quid comperit usus,
Magnaque in angustis hominum solertia rebus,
Et monstrata deûm auxilia, et data munera cœli,
Hinc canere, et longe secretas quærere causas
Aëra per liquidum, et vasti per sidera Olympi
Incipiam: dulci quando novitatis amore
Correptum, placidi Naturæ suavibus horti
Floribus invitant, et amantes mira Camœnæ.
Bembe, decus clarum Ausoniæ, si forte vacare
Consultis Leo te a magnis paulisper, et alta
Rerum mole sinit, totum qua sustinet orbem,
Et juvat ad dulces paulum secedere Musas;

Ne nostros contemne orsus medicumque laborem;
Quicquid id est, deus hæc quondam dignatus Apollo est,
Et parvis quoque rebus inest sua sæpe voluptas.
Scilicet hac tenui rerum sub imagine multum
Naturæ fatique subest, et grandis origo.
Tu mihi, quæ rerum causas, quæ sidera noscis,
Et cœli effectus varios, atque aëris oras,
Uranie! (sic dum puro spatiaris Olympo,
Metirique vagi lucentes ætheris ignes,
Concentu tibi divino cita sidera plaudant;)
Ipsa ades, et mecum placidas, dea, lude per umbras,
Dum tenues auræ, dum myrtea silva canenti
Aspirat, resonatque cavis Benacus ab antris.
Dic dea, quæ causæ nobis post sæcula tanta
Insolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo nostrum pervenit in orbem,
Ex quo lecta manus solvens de littore Ibero
Ausa fretum tentare, vagique incognita ponti est
Æquora, et orbe alio positas perquirere terras?
Illic namque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, passimque vagari
Perpetuo cœli vitio, atque ignoscere paucis;
Commercîne igitur causa accessisse putandum est
Delatam contagem ad nos, quæ parva sub ipsis
Principiis, mox et vires, et pabula sensim
Suscipiens, sese in terras diffuderit omnes?
Ut sæpe in stipulas cecidit quum forte favilla
De face, neglectam pastor quam liquit in arvo,
Illa quidem tenuis primum, similisque moranti
Incedit; mox, ut paulatim increvit eundo,

Tollitur, et victrix messem populatur, et agros,
Vicinumque nemus, flammasque sub æthera jactat;
Dat sonitum longe crepitans Jovis avia silva;
Et cœlum late circum, campique relucent.
At vero, si rite fidem observata merentur,
Non ita censendum; nec certe credere par est
Esse peregrinam nobis transque æquora vectam
Contagem; quoniam in primis ostendere multos
Possumus, attactu qui nullius hanc tamen ipsam
Sponte sua sensere luem, primique tulere.
Præterea et tantum terrarum tempore parvo
Contages non una simul potuisset obire.
Aspice per Latii populos, quique herbida Sagræ
Pascua, et Ausonios saltus, et Iapygis oræ
Arva colunt; specta Tyberis qua labitur, et qua
Eridanus centum fluviis comitatus in æquor,
Centum urbes rigat, et placidis interfluit undis:
Uno nonne vides ut tempore pestis in omnes
Sæviit? ut sortem pariter transegimus unam?
Quinetiam externos eadem per tempora primum
Excepisse ferunt; nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quæ scindere puppibus æquor
Ausa fuit, quam quos disterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenusque bicornis;
Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora sub Arcto.
Tempore non alio, Pœni, sensistis, et omnes
Qui lætam Ægyptum metitis fœcundaque Nilo
Arva, et palmiferæ silvas tondetis Idumes.
Quæ quum sic habeant sese, nempe altius isti
Principium labi, rerumque latentior ordo,

(Ni fallor) graviorque subest et major origo.
Principio quæque in terris, quæque æthere in alto,
Atque mari in magno, Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec sorte una, nec legibus iisdem
Proveniunt; sed enim quorum primordia constant
E paucis, crebro ac passim pars magna creantur.
Rarius ast alia apparent, et non nisi certis
Temporibusve locisve; quibus violentior ortus,
Et longe sita principia; ac nonnulla, priusquam
Erumpant tenebris et opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, spatiosaque sæcula poscunt.
Tanta vi coëunt genitalia semina in unum.
Ergo et morborum quoniam non omnibus una
Nascendi est ratio, facilis pars maxima visu est,
Et faciles ortus habet et primordia præsto:
Rarius emergunt alii; et post tempore longo
Difficiles causas, et inextricabile fatum
Et sero potuere altas superare tenebras.
Sic elephas sacer Ausoniis incognitus oris,
Sic lichen latuere diu; quibus accola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc est dira lues, quæ nuper in auras
Exiit, et tandem sese caligine ab atra
Exemit, durosque ortus et vincula rupit.
Quam tamen, æternum quoniam dilabitur ævum,
Non semel in terris visam, sed sæpe fuisse,
Ducendum est; quanquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit; quoniam longæva vetustas
Cuncta situ involvens, et res et nomina delet;
Nec monumenta patrum seri videre nepotes.

Oceano tamen in magno sub sole cadente,
Qua misera inventum nuper gens incolit orbem,
Passim oritur, nullisque locis non cognita vulgo est:
Usque adeo rerum causæ, atque exordia prima,
Et cœlo variare et longo tempore possunt;
Quodque illic fert sponte aër, et idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cujus forte suo si cunctas ordine causas
Nosse cupis, magni primum circumspice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes;
Quumque animadvertas, tam vastæ semina labis
Esse nec in terræ gremio, nec in æquore posse,
Haud dubie tecum statuas reputesque necesse est,
Principium sedemque mali consistere in ipso
Aëre, qui terras circum diffunditur omnes;
Qui nobis sese insinuat per corpora ubique,
Suetus et has generi viventûm immittere pestes.
Aër quippe pater rerum est, et originis auctor;
Idem sæpe graves morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabescere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero quonam ille modo contagia traxit,
Accipe; quid mutare queant labentia sæcla.
In primis tum sol rutilus, tum sidera cuncta
Tellurem, liquidasque auras, atque æquora ponti
Immutant agitantque; utque ipso sidera cœlo
Mutavere vicem, et sedes liquere priores,
Sic elementa modis variis se grandia vertunt.
Aspice ut hibernos rapidos ubi flexit in Austrum
Phœbus equos, nostrumque videt depressior orbem,

Bruma riget, duratque gelu spargitque pruina
Tellurem, et gelida glacie vaga flumina sistit.
Idem, ubi nos Cancro propior spectavit ab alto,
Urit agros; arent nemora et sitientia prata,
Siccaque pulvereis æstas squalescit in arvis.
Nec dubium, quin et noctis nitor, aurea luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor;
Quin et Saturni grave sidus, et æquior orbi
Stella Jovis; quin pulcra Venusque, et Martius ignis,
Ac reliqua astra etiam mutent elementa, trahantque
Perpetuum, et late magnos dent undique motus.
Præcipue sedem si quando plurima in unam
Convenere, suo vel multum devia cursu
Longe alias tenuere vias, hæc scilicet annis
Pluribus, et rapidi post multa volumina cœli
Eveniunt, diis fata modis volventibus istis.
Ut vero evenisse datum est, numerumque diesque
Exegere suos, præfixaque tempora fatis;
Proh quanta aërios tractus, salsa æquora quanta,
Telluremque manent! alibi quippe omnia late
Cogentur spatia in nubes; cœlum imbribus omne
Solvetur; summisque voluti montibus amnes
Præcipites secum silvas, secum aspera saxa,
Secum armenta trahent: medius pater impete magno
Aut Padus, aut Ganges super et nemora alta domosque
Turbidus, æquabit pelago freta lata sonante.
Æstates alibi magnæ condentur, et ipsæ
Flumina speluncis flebunt arentia Nymphæ;
Aut venti cuncta invertent, aut obice clausi
Excutient tellurem imam, et cum turribus urbes.

Forsitan et tempus veniet, poscentibus olim
Natura fatisque deûm, quum non modo tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deserta jacebit;
Verum etiam sol ipse novum (quis credere possit?)
Curret iter, sua nec per tempora diffluet annus:
Ast insueti æstus, insuetaque frigora mundo
Insurgent; et certa dies animalia terris
Monstrabit nova; nascentur pecudesque feræque
Sponte sua, primaque animas ab origine sument.
Forsitan et majora audens producere tellus
Cœumque, Enceladumque feret, magnumque Typhœa,
Ausurus patrio superos detrudere cœlo,
Convulsamque Ossam nemoroso imponere Olympo.
Quæ quum perspicias, nihil est cur tempore certo
Admirere novis magnum marcescere morbis
Aëra, contagesque novas viventibus ægris
Sidere sub certo fieri, et per sæcula longa.
Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno tristi immiscente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Insolita exarsit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum sputum exagitans (miserabile visu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Assyriæ gentes, et Persidos, et quæ
Euphratem, Tigrimque bibunt, post tempore parvo
Corripuit, ditesque Arabas, mollemque Canopum;
Inde Phrygas, inde et miserum trans æquora vecta
Infecit Latium, atque Europa sæviit omni.
Ergo age jam mecum, semper sese æthera circum
Volventem, superûmque domos, ardentiaque astra

Contemplare; animumque agitans per cuncta, require,
Quis status illorum fuerit, quæ signa dedere
Sidera, quid nostris cœlum portenderit annis:
Hinc etenim tibi forte novæ contagis origo
Omnis, et eventus tanti via prima patescet.
Aspice candentes magni qua Cancer Olympi
Excubat ante fores, et brachia pandit aperta;
Hinc diræ facies, hinc se diversa malorum
Ostendunt portenta; una hac sub parte videbis
Magna coisse simul radiis ardentibus astra,
Et conjuratas sparsisse per aëra flammas;
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto
Prospiciens senior vates, quem dia per omnes
Cœlicolûmque domos duxit, docuitque futura
Uranie; miseras, inquit, defendite terras,
O superi; insolitam video per inania ferri
Illuviem, et magnos cœli tabescere tractus.
Bella etiam Europæ miseræ, bella impia, et agros
Ausoniæ passim currentes sanguine cerno.
Dixit; et illa etiam scriptis ventura notavit.
Mos superûm est, ubi sæcla vagus sol certa peregit,
Ab Jove decerni fata, et cuncta ordine pandi,
Quæcunque eventura manent terrasque polumque.
Quod tempus cum jam nostris venientibus annis
Instaret, rerum summus sator, et superûm rex
Jupiter, acciri socios in rebus agendis
Saturnum Martemque jubet; bipatentia Cancer
Limina portarum reserat, diisque atria pandit.
Conveniunt, quibus est fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis ferroque coruscans

Bellipotens Mavors, animis cui prælia, et arma,
Vindictæque manent, et ovantes sanguine cædes.
Post placidus curru invectus rex Jupiter aureo
Insequitur, ni fata obstent, pater omnibus æquus.
Postremus, longaque via tardatus et annis,
Falcifer accedit senior; qui haud immemor iræ
In natum veteris, nato et parere recusans,
Sæpe etiam cessit retro, et vestigia torsit,
Multa minans, multumque animo indignatus iniquo.
Jupiter at solio ex alto, quo se solet uno
Tollere, percenset fata, et ventura resolvit;
Multum infelicis miserans incommoda terræ,
Bellaque, fortunasque virûm, casuraque rerum
Imperia, et prædas, adapertaque limina morti;
In primis ignota novi contagia morbi,
Morbi, qui humanæ nulla mansuescat opis vi.
Assensere dei reliqui; concussus Olympus
Intremuit, tactusque novis defluxibus æther.
Paulatim aërii tractus et inania lata
Accepere luem, vacuasque insuetus in auras
Marcor iit, cœlumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus astris
Cum sole, e pelago multos terraque vapores
Traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris,
Correptique novo vitio, contagia visu
Perrara attulerint; aliud sive æthere ab alto
Demissum late aërias corruperit oras.
Quamquam animi haud fallor, quid agat, quove ordine cœlum,
Dicere, et in cunctis certas perquirere causas,

Difficile esse; adeo interdum per tempora longa
Effectus trahit; interdum (quod fallere possit)
Miscentur fors, et varii per singula casus.
Nunc age, non id te lateat, super omnia miram
Naturam, et longe variam contagibus esse.
Solis nam sæpe arboribus fit noxius aër,
Et tenerum germen, florumque infecit honorem;
Interdum segetem, et sata læta, annique labores
Corripuit, scabraque ussit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit semina tellus.
Interdum pœnas animalia sola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipsis. Memini ipse malignam
Luxuriem vidisse anni, multoque madentem
Autumnum perflatum Austro, quo protinus omne
Caprigenum pecus e cunctis animantibus unum
Corruit. A stabulis lætas ad pabula pastor
Ducebat; tum forte alta securus in umbra
Dum caneret, tenuique gregem mulceret avena,
Ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat,
Nec longe via mortis erat; namque acta repente
Circum præcipiti lapsu, revomensque supremam
Ore animam, socias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum!) atque æstate sequenti
Infirmas pecudes balantûmque horrida vulgus
Pestis febre mala miserum pæne abstulit omne.
Usque adeo varia affecti sunt semina cœli,
Et variæ rerum species; numerusque vicissim
Inter uicta subest, interque moventia certus.
Nonne vides, quamvis oculi sint pectore anhelo
Expositi mollesque magis, non attamen ipsos

Carpere tabem oculos, sed sese immergere in imum
Pulmonem ? et pomis quamquam sit mollior uva,
Non tamen iis vitiatur, at ipsa livet ab uva,
Nempe alibi vires, alibi sua pabula desunt;
Ast alibi mora certa; nec ipsa foramina multum
Non faciunt, hinc densa nimis, nimis inde soluta.
Ergo contagum quoniam natura genusque
Tam varium est, et multa modis sunt semina miris,
Contemplator et hanc, cujus cœlestis origo est;
Quæ, sicut desueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbamque natantûm,
Non volucres, non bruta altis errantia silvis,
Non armenta boum, pecudesve, armentave equorum
Infecit, sed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus, et nostros est pasta sub artus.
Porro homine e toto, quod in ipso sanguine crassum
Et sordens lentore foret, fœdissima primum
Corripuit, sese pascens uligine pingui.
Tali se morbus ratione et sanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, et signa docebo
Contagis miseræ: atque utinam concedere tantum
Musa queat, tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curæ,
Hæc multas monumenta dies ut nostra supersint.
Forte etenim nostros olim legisse nepotes,
Et signa et faciem pestis novisse juvabit.
Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atra sopita jacebit
Interitu data; mox iterum post sæcula longa
Illa eadem exsurget, cœlumque aurasque reviset,

Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.
In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
Sæpe tamen quater ipsa suum compleverat orbem
Luna prius, quam signa satis manifesta darentur.
Scilicet extemplo non sese prodit aperte,
Ut semel est excepta intus, sed tempore certo
Delitet, et sensim vires per pabula captat.
Interea tamen insolito torpore gravati,
Sponteque languentes animis, et munera obibant
Ægrius, et toto segnes se corpore agebant.
Ille etiam suus ex oculis vigor, et suus ore
Dejectus color haud læta de fronte cadebat.
Paulatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifesta magis vitii se prodere signa.
Nam simul ac puræ fugiens lux alma diei
Cesserat, et noctis tristes induxerat umbras,
Innatusque calor, noctu petere intima suetus,
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obsita mole pigra humorum; tum vellier artus
Brachiaque, scapulæque, gravi suræque dolore.
Quippe ubi per cunctas ierant contagia venas,
Humoresque ipsos et nutrimenta futura
Polluerant, Natura malum secernere sueta
Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius: verum crasso quia corpore tarda
Hæc erat, et lentore tenax, multa inter eundum
Hærebat membris exanguibus, atque lacertis;
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore, magisque erumpere nata,

Summa cutis pulsa et membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemque horrendam et pectora fœde
Turpabant; species morbi nova; pustula summæ
Glandis ad effigiem, et pituita marcida pingui;
Tempore quæ multo non post adaperta dehiscens,
Mucosa multum sanie taboque fluebat:
Quinetiam erodens alte, et se funditus abdens,
Corpora pascebat misere; nam sæpius ipsi
Carne sua exutos artus, squalentiaque ossa
Vidimus, et fœdo rosea ora dehiscere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.
Ut sæpe aut cerasis, aut phyllidis arbore tristi,
Vidisti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum durescere gummi;
Haud secus hac sub labe solet per corpora mucor
Diffluere, hinc demum in turpem concrescere callum.
Unde aliquis ver ætatis pulchramque juventam
Suspirans, et membra oculis deformia torvis
Prospiciens, fœdosque artus, turgentiaque ora,
Sæpe deos, sæpe astra miser crudelia dixit.
Interea dulces somnos, noctisque soporem,
Omnia per terras animalia fessa trahebant;
Illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras
Fugerat; iis oriens ingrata Aurora rubebat,
Iis inimica dies, inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera; non dulces epulæ, non copia rerum,
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas,
Quamvis sæpe amnes nitidos, jucundaque Tempe,

Et placidas summis quæsissent montibus auras.
Diis etiam sparsæque preces, incensaque templis
Thura, et divitibus decorata altaria donis;
Dii nullas audire preces, donisve moveri.
Ipse ego Cenomanûm memini qua pinguia dives
Pascua Sebina præterfluit Ollius unda,
Vidisse insignem juvenem, quo clarior alter
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni;
Vix pubescentis florebat vere juventæ,
Divitiis proavisque potens, et corpore pulchro;
Cui studia, aut pernicis equi compescere cursum,
Aut galeam induere, et pictis splendescere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palæstra,
Venatuque feras agere, et prævertere cervos.
Illum omnes Ollîque deæ, Eridanique puellæ
Optârunt, nemorumque deæ, rurisque puellæ;
Omnes optatos suspiravere hymenæos.
Forsan et ultores superos neglecta vocavit
Non nequicquam aliqua, et votis pia numina movit.
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem,
Invasit miserum labes, qua sævior usquam
Nulla fuit, nulla unquam aliis spectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Disperiit, vis illa animi; tum squalida tabes
Artus (horrendum!) miseros obduxit, et alte
Grandia turgebant fœdis abscessibus ossa.
Ulcera (proh divûm pietatem!) informia pulchros
Pascebant oculos, et diæ lucis amorem,
Pascebantque acri corrosas vulnere nares;
Quo tandem infelix fato, post tempore parvo,
Ætheris invisas auras, lucemque reliquit.

Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flêrunt;
Illum omnes Ollîque deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt, nemorumque deæ, rurisque puellæ;
Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.
Ergo hanc per miseras terras Saturnus agebat
Pestem atrox; nec sæva minus crudelis et ipse
Miscebat Mavors, conjunctaque fata ferebat.
Quippe lue hac nascente putem simul omnia diras
Eumenidas cecinisse fera et crudelia nobis;
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Excivisse lacus, Stygiaque ab sede laborem,
Pestemque, horribilemque famem, bellumque, necemque.
Dii patrii, quorum Ausonia est sub numine; tuque,
Tu Latii, Saturne, pater, quid gens tua tantum
Est merita? an quiquam superest dirique gravisque,
Quod sit inexhaustum nobis? ecquod genus usquam
Aversum usque adeo cœlum tulit? Ipsa labores,
Parthenope, dic prima tuos; dic funera regum,
Et spolia, et prædas, captivaque colla tuorum.
An stragem infandam memorem, sparsumque cruorem
Gallorumque Italûmque pari discrimine; quum jam
Sanguineum, et defuncta virûm, defunctaque equorum
Corpora volventem, cristasque atque arma trahentem,
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoque spumantem, et nostrorum cæde tumentem,
Abdua, non multo post tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix suscepit, et altum
Indoluit tecum, et fluvio solatus amico est.
Ausonia infelix! en quo discordia priscam
Virtutem, mundi imperium perduxit avitum.

Angulus anne tui est aliquis, qui barbara non sit
Servitia, et prædas, et tristia funera passus?
Dicite vos, nullos soliti sentire tumultus,
Vitiferi colles, qua flumine pulcher amœno
Erethenus fluit, et plenis lapsurus in æquor
Cornibus, Euganeis properat se jungere lymphis.
O patria, o longum felix, longumque quieta
Ante alias patria, o divûm sanctissima tellus,
Dives opum, fœcunda viris, lætissima campis
Uberibus, rapidoque Athesi, et Benacide lympha,
Ærumnas memorare tuas, summamque malorum
Quis queat? et dictis nostros æquare dolores,
Et turpes ignominias, et barbara jussa?
Abde caput, Benace, tuo et te conde sub amne,
Victrices nec jam deus interlabere lauros.
En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lacrimæ planctusve forent; en dura tot inter,
Spes Latii, spes et studiorum et Palladis illa
Occidit. Ereptum Musarum e dulcibus ulnis
Te miserum ante diem crudeli funere, Marce
Antoni, ætatis primo sub flore cadentem,
Vidimus extrema positum Benacide ripa,
Quam media inter saxa sonans Sarca abluit unda.
Te ripæ flevere Athesis; te voce vocare
Auditæ per noctem umbræ, manesque Catulli,
Et patrios mulcere nova dulcedine lucos.
Tempestate illa Ausoniam rex Gallus opimam
Vertebat bello, et Ligurem ditione premebat.
Parte alia Cæsar ferro superabat et igni
Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem;
Et totum luctus Latium, mœrorque tenebat.

LIB. II.

Nunc age, quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciem adversus tantam, quid tempore quoque
Conveniat, (nostri quæ pars est altera cœpti)
Expediam, et miranda hominum comperta docebo.
Quippe nova quum re attoniti multa irrita primum
Tentâssent, tamen angustis solertia major
In rebus, crescensque usu experientia longo
Evicere; datumque homini protendere longe
Auxilia, et certis pestem compescere vinclis,
Victorem et sese claras attollere in auras.
Credo equidem et quædam nobis divinitus esse
Inventa, ignaros fatis ducentibus ipsis.
Nam quamquam fera tempestas, et iniqua fuerunt
Sidera, non tamen omnino præsentia divûm
Abfuit a nobis, placidi et clementia cœli.
Si morbum insolitum, si dura et tristia bella
Vidimus, et sparsos dominorum cæde penates,
Oppidaque, incensasque urbes, eversaque regna,
Et templa, et raptis temerata altaria sacris;
Flumina dejectas si perrumpentia ripas
Evertere sata, et mediis nemora eruta in undis,
Et pecora, et domini, correptaque rura natârunt,
Obseditque inimica ipsas penuria terras:
Hæc eadem tamen hæc ætas (quod fata negârunt
Antiquis) totum potuit sulcare carinis
Id pelagi immensum quod circuit Amphitrite.
Nec visum satis, extremo ex Atlante repôstos

Hesperidum penetrare sinus, Prassumque sub Arcto
Inspectare alia, præruptaque littora Rhapti,
Atque Arabo advehere et Carmano ex æquore merces:
Auroræ sed itum in populos Titanidis usque est
Supra Indum, Gangemque supra, qua terminus olim
Catygare noti orbis erat; superata Cyambe,
Et dites ebeno, et felices macere silvæ.
Denique et a nostro diversum gentibus orbem,
Diversum cœlo, et clarum majoribus astris,
Remigio audaci attigimus, ducentibus et diis.
Vidimus et vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placidusque cavo Sebethus ab antro
Plauserunt, umbræque sacri manesque Maronis;
Qui magnos stellarum orbes cantavit, et hortos
Hesperidum, cœliquè omnes variabilis oras.
Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
Post mutos cineres, quos et venientia sæcla
Antiquis conferre volent; at, Bembe, tacendus
Inter dona deûm nobis data non erit unquam
Magnanimus Leo; quo Latium, quo maxima Roma
Attollit caput alta, paterque ex aggere Tybris
Assurgit, Romæque fremens gratatur ovanti:
Cujus ab auspiciis jam nunc mala sidera mundo
Cessere, et læto regnat jam Jupiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina cœlum:
Unus qui ærumnas post tot, longosque labores,
Dulcia jam profugas revocavit ad otia Musas,
Et leges Latio antiquas, rectumque, piumque
Restituit; qui justa animo jam concipit arma
Pro re Romana, pro relligione deorum:

Unde etiam Euphrates, etiam late ostia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit unda refusi,
Atque Ægæa suos confugit Doris in Isthmos.
Ergo, alii dum tanta canent, dumque illius acta
Inclyta component, dum forte accingeris et tu
Condere, et æternis victurum intexere chartis;
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, lusus
Inceptos, quantum tenuis fert Musa, sequamur.
Principio, quoniam affecti non sanguinis una
Est ratio, tibi sit morbo spes major in illo,
Sanguine qui insedit puro; verum quibus atra
Bile tument, spissoque resultant sanguine venæ,
Major in iis labor est, pestisque tenacius hæret.
Quare operæ pretium est validis atque acribus uti
Omnibus hos contra, miseris nec parcere membris.
Quinetiam meliora sibi promittere cuncta
Ille potest, qui principiis novisse sub ipsis
Serpentem tacite valuit per viscera labem.
Namque ubi pasta diu, vires per pabula longa
Auxerit, et jam se vitium firmaverit intra,
Heu! quanto tibi libertas speranda labore est!
Ergo omnem impendes operam te opponere parvis
Principiis, memorique animo hæc præcepta reconde.
In primis ego non omni te assuescere cœlo
Exhorter; fuge perpetuo quod flatur ab Austro,
Quod cœno immundæque grave est sudore paludis.
Protenti potius campi mihi, liber et agri
Tractus, et apricis placeant in collibus auræ,
Et molles Zephyri, pulsusque Aquilonibus aër.
Hic, jubeo, tibi nulla quies, nulla otia sunto:

Rumpe moras, agita assiduis venatibus apros
Impiger, assiduis agita venatibus ursos.
Nec tibi sit labor aërii cursu ardua montis
Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,
Et longa lustrare altos indagine saltus.
Vidi ego sæpe malum qui jam sudoribus omne
Finisset, silvisque luem liquisset in altis.
Sed nec turpe puta dextram summittere aratro,
Et longum trahere incurvo sub vomere sulcum ;
Neve bidente solum et duras proscindere glebas,
Et valida aëriam quercum exturbare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quinetiam, exercere domi quo te quoque possis,
Parvam mane pilam versa mihi, vespere versa ;
Et saltu, et dura potes exsudare palæstra.
Vince malum ; nec te fallat, quod desidis otî
Assidue desiderium, lectique sequetur.
Tu lecto ne crede, gravi ne crede sopori ;
His alitur vitium, et placidæ sub imagine pacis
Decipit, e dulcique trahit fomenta quiete.
Nec non interea effugito, quæ tristia mentem
Sollicitant ; procul esse jube curasque, metumque
Pallentem, ultricesque iras, omnemque Minervæ
Addictum studiis animum ; sed carmina, sed te
Delectent juvenumque chori, mixtæque puellæ.
Parce tamen Veneri, mollesque ante omnia vita
Concubitus ; nihil est nocuum magis ; odit et ipsa
Pulchra Venus, teneræ contagem odere puellæ.
Quod sequitur, victus ratio tibi maxima habenda est;
Nec sit cura tibi, neve observantia major.

Principio, quoscunque amnes, quoscumque paludes,
Quosque lacus liquidi pascunt, quosque æquora, pisces,
Omne genus procul amoveo. Sunt quos tamen usus
Liberius, quum res cogit, concedere possit.
Omnibus his est alba caro, non dura tenaxque,
Quos petræ, et fluviorum adversa marisque fatigant.
Tales nant pelago phycides, rutilæque per undas
Auratæ, gobiique, et amantes saxea percæ:
Talis dulcifluûm fluviorum scarus ad ora
Solus saxa inter depastas ruminat herbas.
Sed neque quæ stagnis volucres, quæque amnibus altis
Degere amant, liquidisque cibum perquirere in undis,
Laudârim; tibi pinguis anas, tibi crudior anser
Vitetur, potiusque vigil Capitolia servet;
Viteturque gravi coturnix tarda sagina.
Tu teneros lactes, tu pandæ abdomina porcæ,
Porcæ heu! terga fuge; et lumbis ne vescere aprinis,
Venatu quamvis toties confeceris apros.
Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent;
Neve famem cinara bulbisve salacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor, non usus aceti,
Non fumosa mero spumantia pocula Baccho,
Qualia Cyrnæi colles, campique Falerni,
Et Pucinus ager mittunt; aut qualia nostris
Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.
Nempe Sabina magis placeant, dilutaque tellus
Quæ tulit, et multo domuerunt Naiades amne.
At tibi si ex horto victus, mensæque deorum
Sunt animo, atque olerum simplex et inempta voluptas;
Non mentæ virides, non læta sisymbria desunt,

Intubaque, et toto florentes frigore sonchi,
Et sia fontanis semper gaudentia rivis,
Et thymbræ suaves, et odoriferæ calaminthæ;
Læta meliphylla, et riguo buglossus ab horto
Carpantur, plenisque ferax erucula palmis,
Atque olus, atque rumex, et salsi gramina chrithmi.
Ipsa lupum dumeta ferent; hinc collige primos
Asparagos, albæ asparagos hinc collige vitis,
Quum nondum explicuit ramos, umbracula nondum
Texuit, et virides jussit pendere corymbos.
Singula sed longum est, nec percensere necesse;
Jamque aliud vocor ad munus; juvat in nova Musas
Naturæ nemora Aoniis deducere ab umbris:
Unde mihi si non e lauro intexere fronti
Serta volent, tantaque caput cinxisse corona;
At saltem, ob servata hominum tot millia, dignum
Censuerint querna redimiri tempora fronde.

Vere novo, si quem morbus tenet, aut et in ipso
Autumno, si firma ætas, si sanguis abundat,
Regalem, mediamve lacerti incidere venam
Proderit, atque extra fœdatum haurire cruorem.
Præterea, quocunque habeat te tempore pestis,
Corruptum humorem et contagem educere turpem
Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.
Ante tamen ducenda para, concreta resolve,
Et crassa attenua, et lentore tenacia frange.

Ergo Coryciumque thymum sit cura, thymumque
Pamphylium, thymbræ similis qui durior exit,
Prima tibi coxisse, lupique volubile gramen,
Fœniculumque, apiumque, et amari germina capni.

His polypodium hirtos imitata filicula cirros
Additur, et lymphis tangi renuens adiantus;
His sterile asplenum, his plotam phyllitida junge.
Quorum ubi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem,
Tum scilla medicare aeri, et colocynthide amara,
Helleboroque gravi; nec non quae in littore surgens,
Qua ludit maris unda, ter evariata colorem,
Ter flores mutata die, rem nomine signat,
Herba potens radice; suum cui zinziber adde;
Adde etiam anguineum cucumin, Nabatheaque thura,
Myrrhamque, bdelamque, hammoniacique liquorem,
Et lacrimam panaceam, et dulci Colchica bulbo.
His actis, si forte tibi frigentia corda,
Et molles animi fuerint; nec acerba placebit
In primis tentare, brevique extinguere pestem,
Sed placidis agere, et per tempora lenibus uti;
Tum superest tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere, contagisque ad tenuia semina caecae,
Illa quidem consueta modis inserpere miris.
Profuerint igitur quaecque exsiccantia, quaeque
Marcori resinosa solent obsistere putri.
Tales sunt myrrhae lacrimae, sunt talia thura,
Cedrusque, aspalathusque, immortalisque cupressus,
Et bene cum calamo spirans redolente cyperus.
Ergo nec desint casiae, nec desit amomum,
Macerve agalochumve tibi, nec cinnama odora.
Est etiam in pratis illud juxtaque paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obstare venenis
Contagique solet, parvo quaerenda labore

Herba tibi; viret ipsa comis imitata chamædrym,
Flore rubens, referensque alli cum voce saporem.
Aurora nascente hujus frondemque comantem
Radicesque coque, atque haustu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta silebere nostris
Hesperidum decus, et Medarum gloria, citre,
Silvarum; si forte sacris cantata poëtis
Parte quoque hac medicam non dedignabere musam.
Sic tibi sit semper viridis coma, semper opaca,
Semper flore novo redolens; sis semper onusta
Per viridem pomis silvam pendentibus aureis.
Ergo ubi nitendum est cæcis te opponere morbi
Seminibus, vi mira arbor Cithereïa præstat;
Quippe illam Citherea, suum dum plorat Adonim,
Munere donavit multo, et virtutibus auxit.
Quorundam inventum est, vitrei inter concava vasis,
Cui collum oblongum est, venter turgescit in orbem,
Aut hederæ folia, aut Ida mittente maniplos
Dictamni, Illyricamve irim, rhamnive nigrantem
Radicem, aut inulas coquere; in sublime solutus
Effertur vapor, et tenuis vacua omnia complet.
Ast, ubi frigenti occursavit ab aëre vitro,
Cogitur, et rorem liquidus densatur in udum,
Decurritque vagis per aperta canalia rivis.
Destillantis aquæ cyathum sub lumina prima
Luciferi potare jubent, stratisque parare
Sudorem; nec certe ab re; vis utilis olli est,
Relliquias morbi tenues dispergere in auras.
Interea si membra dolor convulsa malignus
Torqueat, œsypo propera lenire dolorem,

Mastichinoque oleo; lentum quibus anseris unguen,
Emulsumque potes lini de semine mucum,
Narcissumque, inulamque, liquentiaque addere mella,
Coryciumque crocum, et vilem componere amurcam.
At fauces atque ora malus si eroserit herpes,
Tange nitro, et viridi medicata ærugine lympha
Semina inure mala, et serpentem interfice pestem.
Verum ipsos ope non alia consumere achores,
Urentûm quam vi, poteris; quibus addere debes
Pingue aliquid, quod secum intus siccantia portet.
Hæc eadem, et miseros artus siqua ulcera pascunt,
Tollere, concretosque valebunt solvere callos.
Si vero aut hæc nequicquam tentâsse videbis,
Aut vires animique valent ad fortia quæque,
Nec differre cupis, quin te committere acerbis
Festines, diramque brevi consumere pestem;
Hinc alia inventa expediam, quæ tristia quanto
Sunt magis, hoc tanto citius finire labores
Ærumnasque mali poterunt. Quippe effera labes
Inter prima tenax, et multo fomite vivax,
Nedum se haud vinci placidis et mitibus, at nec
Tractari sinit, et mansuescere dura repugnat.
Sunt igitur styracem in primis qui, cinnabarimque,
Et minium, et stymmi agglomerant, et thura minuta;
Quorum suffitu pertingunt corpus acerbo,
Absumuntque luem miseram et contagia dira.
At vero et partim durum est medicamen et acre,
Partim etiam fallax; quo faucibus angit in ipsis
Spiritus, eluctansque animam vix continet ægram.
Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti,

Ire para ; et nigrantem ipsis in faucibus agnam
Mactato supplex, atque, Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio. Nigram tum noctem, umbrasque silentes,
Umbrarumque deos, ignotaque numina nymphas,
Et thya venerare, atræ et nidore cupressi.
Hic tibi narranti causam, auxiliumque vocanti,
Haud aberit dea, quæ cæcæ in penetralia terræ
Deducat te sancta, et spem tibi sedula præstet.
Surge age, nec vani speciem tibi concipe somni.
Illa ego sum, quæ culta vago per pinguia fonte
Dilabor, dea vicinis tibi cognita ab undis.
Sic ait, et se cæruleo cita condidit amne.
Ille autem, ut placidus cessit sopor, omnia lætus
Accipit, et nympham precibus veneratur amicam ;
O sequor, o quocunque vocas, pulcherrima fontis
Vicini dea, Callirhoë. Tum postera primum
Exsurgens Aurora suos ubi protulit ortus,
Monstratum Jovis in silva sub rupibus altis
Antrum ingens petit, et nigrantem tergora primo
Vestibulo sistit pecudem, magnæque trementem
Mactat Opi ; tibique, inquit, ego hanc, Ops maxima,
macto.
Tum noctem, noctisque deas, ignota precatur
Numina : jamque simul thyan atramque cupressum
Urebat ; quum vox terræ revoluta cavernis
Longe audita sacras nympharum perculit aures,
Nympharum quibus æra solo sunt condita curæ.
Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt,
Sulphureos forte ut latices, et flumina vivi
Argenti, inox unde nitens concresceret aurum,

Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.
Centum ignis spissi radios, centum ætheris usti,
Bis centum concretorum terræque marisque
Miscuerant, nostros fugientia semina visus.
At Lipare, Lipare, argenti cui semina et auri
Cura data, et sacrum flammis adolere bitumen,
Continuo obscuræ latebrosa per avia terræ
Ilcea adit, firmansque animum sic incipit ipsa:
Ilceu (namque tuum nec nomen, nec mihi labes
Ignota est, nec, quid venias) jam corde timorem
Exue; nequicquam non te huc carissima mittit
Callirhoë; tibi parta salus tellure sub ima est.
Tolle animos, et me per opaca silentia terræ
Insequere; ipsa adero, et præsenti numine ducam.
Sic ait, et se antro gradiens præmittit opaco.
Ille subit, magnos terræ miratus hiatus,
Squalentesque situ æterno et sine lumine vastas
Speluncas, terramque meantia flumina subter.
Tum Lipare; Hoc quodcunque patet, quam maxima terra est,
Hunc totum sine luce globum, loca subdita nocti,
Dii habitant; imas retinet Proserpina sedes,
Flumina supremas, quæ sacris concita ab antris
In mare per latas abeunt resonantia terras;
In medio dites nymphæ, genera unde metalli,
Ærisque, argentique, aurique nitentis origo;
Quarum ego nunc ad te miserans ipsa una sororum
Advenio, illa ego, quæ venas per montis hiantes,
Callirhoæ haud ignota tuæ, fumantia mitto
Sulphura. Sic ibant terra et caligine tecti.

Jamque exaudiri crepitantes sulphure flammæ,
Conclusique ignes, stridentiaque æra caminis.
Hæc regio est late, variis ubi fœta metallis,
Virgo ait, est tellus; quorum vos tanta cupido
Exercet, superas cœli qui cernitis auras.
Hæc loca mille deæ cæcis habitamus in antris,
Nocte deæ et Tellure satæ, queis munera mille,
Mille artes. Studium est aliis deducere rivos,
Scintillas aliis rimari, et sparsa per omnem
Semina tellurem flammarum, ignisque coruscí.
Materiam miscent aliæ, massamque coercent
Obicibus, multa et gelidarum inspergine aquarum.
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Ætnæi Cyclopes habent, versantque, coquuntque
Vulcano stridente, atque æra sonantia cudunt.
Læva hæc abstrusum per iter via ducit ad illos;
Dextera sed sacri fluvii te sistet ad undam,
Argento fluitantem undam, vivoque metallo,
Unde salus speranda. Et jam aurea tecta subibant,
Rorantesque domos spodiis, fuligineque atra
Speluncas varie obductas, et sulphure glauco.
Jamque lacus late undantes, liquidoque fluentes
Argento juxta adstabant, ripasque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inventa laborum,
(Subsequitur Lipare) postquam ter flumine vivo
Perfusus, sacra vitium omne reliqueris unda.
Sic fatur; simul argenti ter fonte salubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra super; juvenem toto ter corpore lustrat
Mirantem exuvias turpes, et labe maligna

Exutos artus, pestemque sub amne relictam.
Ergo age, quum primum cœli te purior aër
Accipiet, nitidamque diem solemque videbis,
Sacra para, et castam supplex venerare Dianam,
Indigenasque deos, et numina fontis amici.
Sic virgo; et juvenem tanto pro munere grates
Solventem e nocte ætherias educit in oras,
Dimittitque elacrem, atque optata in lumina reddit.
Accepit nova fama fidem, populosque per omnes
Prodiit haud fallax medicamen; cœptaque primum
Misceri argento fluitanti axungia porcæ.
Mox etiam Oriciæ simul adjuncta est terebinthi
Et laricis resina aëriæ. Sunt qui unguen equinum
Ursinumve adhibent, bdelæ, cedrique liquorem.
Nonnulli et myrrhæ guttas et mascula thura
Adjiciunt, miniumque rubens, et sulphura viva.
Haud vero mihi displiceat, componere si quem
Trita melampodia, atque arentem juverit irim,
Galbanaque, et lasser graveolens, oleumque salubre
Lentisci, atque oleum haud experti sulphuris ignem.
His igitur totum oblinere atque obducere corpus
Ne obscœnum, ne turpe puta; per talia morbus
Tollitur, et nihil esse potest obscœnius ipso.
Parce tamen capiti, et præcordia mollia vita.
Tum super et vittas astringe, et stuppea necte
Vellera; dein stratis tegmento imponere multo,
Dum sudes, fœdæque fluant per corpora guttæ.
Hæc tibi bis quinis satis est iterâsse diebus.
Durum erit; at quicquid tulerit res ipsa, ferendum est.
Aude animis; tibi certa salus stans limine in ipso

Signa dabit; liquefacta mali excrementa videbis
Assidue sputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
Ora tamen fœda erodent ulcuscula; sed tu
Lacte fove, et cocto cytini, viridisque ligustri.
Tempore non alio generosi pocula Bacchi
Annuerim sumenda tibi, purumque Falernum,
Et Chia, et pateris spumantia Rhetica largis.
Sed jam age, vicinæ victor gratare saluti.
Ultima adest tibi cura, eadem et placidissima, corpus
Abluere, et lustrare artus, ac membra piare
Stœchade, amaracinisque comis, et rore marino,
Verbenaque sacra et beneolentibus heracleis.

LIB. III.

Sed jam me nembra alterius felicia mundi,
Externique vocant saltus; longe assonat æquor
Herculeas ultra metas, et littora longe
Applaudunt semota. Mihi nunc magna deorum
Munera, et ignoto devecta ex orbe canenda
Sancta arbos, quæ sola modum requiemque dolori
Et finem dedit ærumnis. Age, diva, beatum,
Uranie, venerare nemus; crinesque revinctam
Fronde nova, juvet in medica procedere palla
Per Latium, et sanctos populis ostendere ramos;
Et juvet haud unquam nostrorum ætate parentum
Visa prius, nullive unquam memorata referre.
Unde aliquis forsan novitatis imagine mira

Captus, et heroas et grandia dicere facta
Assuetus, canat auspiciis majoribus ausas
Oceani intacti tentare pericula puppes.
Necnon et terras varias, et flumina, et urbes,
Et varias memoret gentes, et monstra reperta,
Dimensasque plagas, alioque orientia cœlo
Sidera, et insignem stellis majoribus Arcton.
Nec taceat nova bella, omnemque illata per orbem
Signa novum, et positas leges, et nomina nostra.
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Sæcula) quodcunque oceani complectitur æquor
Ingens, omne una obitum mensumque carina.
Felix, cui tantum dederit Deus; at mihi vires
Arboris unius satis est, usumque referre,
Et quo inventa modo fuerit, nostrasque sub auras
Advena per tantum pelagi pervenerit æquor.
Oceano in magno, ardenti sub sidere Cancri,
Sol ubi se nobis media jam nocte recondit,
Hac ignota tenus, tractu jacet insula longo;
Hispanam gens inventrix cognomine dixit;
Auri terra ferax, sed longe ditior una
Arbore; voce vocant patrii sermonis Hyacum.
Ipsa teres ingensque ingentem vertice ab alto
Diffundit semper viridem semperque comantem
Arbuteis silvam foliis; nux parva, sed acris,
Dependet ramis, et plurima frondibus hæret.
Materia indomita est, duro et pæne æmula ferro
Robora, quæ resinam sudant incensa tenacem.
Dissectæ color haud simplex; in cortice lauri
Exteriore viret livor; pars altera pallet

Buxea; at interior nigro suffusca colore est,
Juglandemque ebenumque inter; quod si inde ruberet,
Jam poterat variis æquare coloribus Irim.
Hanc gens illa colit, studioque educere multo
Nititur; hac late colles campique patentes,
Hac omnis vestitur ager; nec sanctius illis
Est quicquam, aut potiore usu: quippe omnis in illa
Spes jacet hanc contra pestem, quæ cœlitus illic
Perpetua est; validos abjecto cortice ramos
Multa vi tundunt, aut in segmenta minuta
Elimant, puroque scobes in fonte reponunt,
Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor.
Inde coquunt; necnon illos ea cura fatigat,
Vulcano ne forte furens erumpat aquæ vis,
Et superundantem spumam projectet in ignes.
Spuma quippe linunt, si quicquam e corpore toto
Abscedit, si quicquam ægros depascitur artus.
Dimidia absumpta, superest quodcunque reponunt
Divini laticis; quin et segmenta relicta
Rursus, ut ante, coquunt, addentes suaveliquens mel.
Scilicet hunc unum mensis accedere potum
Et lex ipsa jubet gentis, mandatque sacerdos.
Servatum at laticem, et decocti pocula primi
Bina die quaque assumunt, quum surgit ab ortu
Lucifer, et sero egreditur quum vesper Olympo.
Nec prius absistunt potu, quam menstrua cursum
Luna suum, et totum peragrans perfecerit orbem,
Fraternasque iterum convenerit æmula bigas.
Interea cæcis sese penetralibus abdunt,
Quo neque vis venti, non halitus aëria ullus

Insinuet sese, et gelidis afflatibus obsit.
Quid mirandum æque memorem, super omnia victum
Quam tenuem, quam magna sibi jejunia poscant?
Quippe solet satis esse, ipsum dum corpus alatur,
Dum superet vita, et tantum ne membra fatiscant.
Ne tamen, ah! ne tanta time; sacer ilicet haustus
Ille, modo ambrosiæ, vires reficitque fovetque,
Inque occulta gerit jejunis pabula membris.
Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
Imponunt sese stratis, medicamen ut intro
Large eat, et calido sudorem e corpore ducat.
Interea vacuas pestis vanescit in auras,
Et (dictu mirum) apparet jam pustula nulla,
Jamque nomæ cessere omnes; jam fortia liquit
Membra dolor, primoque redit cum flore juventa;
Et jam luna suum remeans nova circuit orbem.
Quis deus hos illis populis monstraverit usus;
Qui demum et nobis casus aut fata tulere
Hos ipsos; unde et sacræ data copia silvæ,
Nunc referam. Missæ quæsitum abscondita Nerei
Æquora in occasum solisque cubilia pinus,
Littoribus longe patriis Calpeque relictis,
Ibant oceano in magno, pontumque secabant,
Ignaræque viæ, et longis erroribus actæ;
Quas circum innumeræ properantes gurgite ab omni,
Ignoti nova monstra maris, Nereïdes udæ
Adnabant, celsas miratæ currere puppes,
Salsa super pictis volitantes æquora velis.
Nox erat, et puro fulgebat ab æthere luna,
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,

Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per cærula classis,
Luna, ait, o! pelagi cui regna hæc humida parent,
Quæ bis ab aurata curvâsti cornua fronte,
Curva bis explêsti, nobis errantibus ex quo
Non ulla apparet tellus; da littora tandem
Aspicere, et dudum speratos tangere portus,
Noctis honos cœlique decus, Latonia virgo!
Audiit orantem Phœbe; delapsaque ab alto
Æthere, se in faciem mutat, Nereïa quali
Cymothoë, Clothoque natant, juxtaque carinam
Adstitit, et summo pariter nans æquore fatur;
Ne nostræ dubitate rates; lux crastina terras
Ostendet, fidoque dabit succedere portu.
Sed vos littoribus primis ne insistite; dudum
Ultra fata vocant. Medio magna insula ponto
Est Ophyre; huc iter est vobis, hic debita sedes,
Imperiique caput. Simul hæc effata carinam
Impulit; illa levi cita dissecat æquora cursu.
Aspirant faciles auræ, et jam clarus ab undis
Surgebat Titan, humiles quum surgere colles
Umbrosi procul, et propior jam terra videri
Incipit; acclamant nautæ, terramque salutant,
Terram exoptatam. Tum portu et littore amico
Excepti, diis vota piis in littore solvunt;
Quassatasque rates, defessaque corpora curant.
Inde ubi quarta dies pelago, crepitansque vocavit
Vela Notus, remis insurgitur, altaque rursum
Corripiunt maria, et læti freta cærula sulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,

Atque Hagia, atque alta Ammerie, exsecrataque tellus
Cannibalum, et ripa Gyane nemorosa virenti.
Protinus innumeræ panduntur turribus altis
Insulæ oceano in vasto; quas inter opacis
Undantem silvis unam, cursuque sonantem
Fluminis aspiciunt, magno qui spumeus alveo
In mare fulgentes auro subvectat arenas:
Hujus in ora placet pronas appellere puppes;
Invitant nemora, et dulces e flumine lymphæ.
Jamque solo viridante alacres, ripaque potiti,
In primis terram ignotam, Nymphasque salutant
Indigenas, geniumque loci, teque, aurifer amnis,
Quisquis in ora maris nitida perlaberis unda.
Tum duram Cererem, et patrii carchesia Bacchi
Aggere in herboso expediunt; dein quærere, si qui
Mortales habitent; pars fulvam fluminis undam
Mirari, mixtamque auro disquirere arenam.
Forte per umbrosos silvarum plurima ramos
Assidue volitabat avis, quæ picta nitentes
Cæruleo pennas, rostro variata rubenti,
Ibat nativo secura per avia luco.
Has juvenum manus ut silvas videre per altas,
Continuo cava terrificis horrentia bombis
Æra, et flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane, tuum, dum Theutonas armas,
Inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.
Nec mora; signantes certam sibi quisque volucrem,
Inclusam, salicum cineres, sulphurque, nitrumque,
Materiam accendunt servata in reste favilla.
Fomite correpto diffusa repente furit vis.

Ignea circumsepta, simulque cita obice rapto
Intrusam impellit glandem; volat illa per auras
Stridula, et exanimes passim per prata jacebant
Dejectæ volucres; magno micat ignibus aër
Cum tonitru, quo silva omnis, ripæque recurvæ,
Et percussa imo sonuerunt æquora fundo.
Pars avium nemus in densum conterrita, et altos
Se recipit scopulos; quorum de vertice summo
Horrendum una canit, (dictu mirabile!) et autes
Terrificis implet dictis, ac talibus infit.

Qui Solis violatis aves, sacrasque volantes,
Hesperii, nunc vos, quæ magnus cantat Apollo,
Accipite, et nostro vobis quæ nuntiat ore.
Vos, quanquam ignari, longum quæsita, secundis
Tandem parta Ophyræ tetigistis littora ventis.
Sed non ante novas dabitur summittere terras,
Et longa populos in libertate quietos,
Moliriqúe urbes, ritusque ac sacra novare,
Quam vos infandos pelagi terræque labores
Perpessi, diversa hominum post prælia, multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra.
Navibus amissis pauci patria arva petetis;
Frustra alii socios quæretis magna remensi
Æquora; nec nostro deerunt Cyclopes in orbe.
Ipsa inter sese vestras discordia puppes
In rabiem ferrumque trahet; nec sera manet vos
Illa dies, fœdi ignoto quum corpora morbo
Auxilium silva miseri poscetis ab ista,
Donec pœniteat scelerum. Nec plura locuta
Horrendum stridens densis sese abdidit umbris.

Illis ossa rigor subitus percurrit, et omnis
Palluit ac gelida fugit formidine sanguis.
Tum vero sacras volucres divosque precati,
In primis Solem, et sanctum servantia lucum
Numina supplicibus venerantur agrestia votis;
Pacem orant, rursumque Ophyren fluviumque salutant.
Interea e silvis nigrum genus ora comasque,
Ad naves nova turba virûm concurrit inermis,
Pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes
Paciferis; tanta qui celsas mole carinas
Mirati, vestesque virûm, fulgentiaque arma,
Vix satis expleri possunt; et ab æthere missi
Sive homines, sive heroës sint, sive deorum
Numina, adorantum ritu precibusque salutant;
Ante alios ipsum regem; cui munera læta,
E ripis collectum aurum, et Cerealia dona,
Et patrios fructus, et mella liquentia portant.
Vestibus ipsi etiam nostris et munere multo
Donati, exceptique mero, nova gaudia miscent;
Non aliter, quam si mensis dapibusque deorum
Mortalis quisquam adscitus, felixque futurus,
Hauriat æternum, cœlestia pocula, nectar.
Ergo ubi amicitiæ securos fœdere utrinque
Firmavere animos, habita et commercia gentis,
Ipsi inter sese reges in littore læti
Complexu jungunt dextras, et fœdera firmant.
Alter gossipio tenui pectusque femurque
Præcinctus, viridi limbum pingente smaragdo,
Ora niger; jaculo armatur cui dextera acuto,
Squamosi spolium sustentat læva draconis.

Alter at intexto lænam circumdatus auro,
Quam subter rutila arma micant; capiti ærea cassis
Insidet, et pictæ volitant in vertice cristæ;
Fulgenti ex auro torques cui candida colla
Cingunt, atque ensis lateri dependet Iberus.
Et jam commixti populi, hospitioque recepti,
Hi tectis domibusque, altis in navibus illi,
Lætitia ludisque dies per pocula ducunt.
Forte loco lux festa aderat, Solique parabant
Ultori facere umbroso sacra annua luco;
Hesperiæque, Ophyræque manus convenerat omnis.
Hic convalle cava, ripæ viridantis in herba,
Selectorum ingens numerus, matresque virique
Confusi, plebs atque patres, puerique senesque,
Adstabant, animis tristes, et corpora fœdi,
Squalentes crustis omnes, taboque fluentes;
Quos circumfusos albenti in veste sacerdos
Pura lustrat aqua, et ramo frondentis Hyaci.
Tum niveum ante aras cædit de more juvencum,
Et juxta positum pastorem sanguine cæsi
Respergit, pateraque rigat; Soliquè potenti
Ad numeros pæana canit; nec cætera turba
Non sequitur, mactantque sues, mactantque bidentes,
Visceribusque veru tostis epulantur in herba.
Obstupuit gens Europæ ritusque sacrorum,
Contagemque alio non usquam tempore visam.
At dux multa animo tacitus secum ipse volutans,
Hic erat ille, inquit, morbus, (dii! avertite casum)
Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.
Tum regem indigenam, (ut sermo fandique facultas

Jam communis erat) cui sint solennia divûm,
Scitatur; quid tanta adstet convalle sub alta
Languentum miseranda manus; quid pastor ad aras,
Sacra inter, cæsi respersus sanguine tauri.
Quem contra, Hesperiæ o hèros fortissime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus, hæc sacra quotannis
Ultori de more deo celebramus; origo
Antiqua est, veteresque patrum fecere parentes.
Quod si externorum mores, hominumque labores
Audivisse juvat, primæva ab origine causam
Sacrorum, et pestis miseræ primordia pandam.
Forsitan Atlantis vestras pervenit ad aures
Nomen, et ex illo generis longo ordine ducti.
Hac et nos, longa serie, de stirpe profecti
Dicimur; heu quondam felix et cara deûm gens,
Dum cœlum colere, et superis accepta referre
Majores suevere boni! sed numina postquam
Contemni cœptum est luxu fastuque nepotum,
Ex illo quæ sint miseros, quantæque secutæ
Ærumnæ, vix fando unquam comprêndere possem.
Insula tum prisci regis de nomine dicta
Ingenti terræ concussa Atlantia motu
Corruit, absorpta oceano; quem mille carinis
Sulcavit toties, terræ regina marisque.
Ex illo et pecudes, et grandia quadrupedantum
Corpora, non ullis unquam reparata diebus
Æternum periere; externaque victima sacris
Cæditur, externus nostras cruor imbuit aras.
Tum quoque et hæc infanda lues, quam nostra videtis
Corpora depasci, quam nulli aut denique pauci

Vitamus, divûm offensis et Apollinis ira
De cœlo demissa omnes grassatur in urbes.
Unde hæc sacra novo primum solennia ritu
Instituere patres, quorum hæc perhibetur origo.
Syphilus (ut fama est) ipsa hæc ad flumina pastor
Mille boves niveas, mille hæc per pabula regi
Alcithoo pascebat oves; et forte sub ipsum
Solstitium urebat sitientes Sirius agros,
Urebat nemora; et nullas pastoribus umbras
Præbebant silvæ, nullum dabat aura levamen.
Ille gregem miseratus, et aeri concitus æstu,
Sublimem in Solem vultus et lumina tollens,
Nam quid, Sol, te, inquit, rerum patremque deumque
Dicimus, et sacras vulgus rude ponimus aras,
Mactatoque bove et pingui veneramur acerra,
Si nostri nec cura tibi est, nec regia tangunt
Armenta? an potius superos vos arbitrer uri
Invidia? mihi mille nivis candore juvencæ,
Mille mihi pascuntur oves; vix est tibi Taurus
Unus, vix Aries cœlo (si vera feruntur)
Unus, et armenti custos Canis arida tanti.
Demens quin potius regi divina facesso,
Cui tot agri, tot sunt populi, cui lata ministrant
Æquora, et est superis ac Sole potentia major?
Ille dabit facilesque auras, frigusque virentum
Dulce feret nemorum armentis, æstumque levabit.
Sic fatus, mora nulla, sacras in montibus aras
Instituit regi Alcithoo, et divina facessit.
Hoc manus agrestum, hoc pastorum cætera turba
Exsequitur; dant thura focis incensa, litantque

Sanguine taurorum, et fumantia viscera torrent.
Quæ postquam rex, in solio dum forte sederet
Subjectos inter populos turbamque frequentem,
Agnovit, divûm exhibito gavisus honore,
Non ullum tellure coli, se vindice, numen
Imperat; esse nihil terra se majus in ipsa;
Cœlo habitare deos, nec eorum hoc esse quod infra est.
Viderat hæc, qui cuncta videt, qui singula lustrat,
Sol pater; atque animo secum indignatus, iniquos
Intorsit radios, et lumine fulsit acerbo:
Aspectu quo terra parens, corruptaque ponti
Æquora, quo tactus viro subcanduit aër.
Protinus illuvies terris ignota profanis
Exoritur; primus, regi qui sanguine fuso
Instituit divina, sacrasque in montibus aras,
Syphilus, ostendit turpes per corpus achores:
Insomnes primus noctes, convulsaque membra
Sensit, et a primo traxit cognomina morbus,
Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.
Et mala jam vulgo cunctas diffusa per urbes
Pestis erat, regi nec sæva pepercerat ipsi.
Itur ad Ammericen silva in Cartheside nympham,
Cultricem nemorum Ammericen, quæ maxima luco
Interpres divûm responsa canebat ab alto;
Scitantur, quæ causa mali, quæ cura supersit.
Illa refert; Spreti vos o, vos numina Solis
Exercent; nulli fas est se æquare deorum
Mortalem; date thura deo, et sua ducite sacra,
Et numen placate; iras non proferet ultra.
Quam tulit, æterna est, nec jam revocabilis unquam

Pestis erit; quicunque solo nascetur in isto,
Sentiet: ille lacus Stygios fatumque severum
Juravit; sed enim, si jam medicamina certa
Expetitis, niveam magnæ mactate juvencam
Junoni, magnæ nigrantem occidite vaccam
Telluri; illa dabit felicia semina ab alto,
Hæc viridem educet felici e semine silvam,
Unde salus. Simul obticuit; specus intus, et omne
Excussum nemus, et circum stetit horror ubique.
Illi obeunt mandata; sua ipsi altaria Soli
Instituunt; niveam, Juno, tibi, magna, juvencam,
Nigrantem, Tellus, mactant tibi, maxima, vaccam.
Mira edam; at divos juro et monumenta parentum;
Hæc sacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante solo nunquam fuerat quæ cognita in isto,
Protinus e terra virides emittere frondes
Incipit, et magna campis pubescere silva.
Annua confestim Soli facienda sacerdos
Ultori nova sacra canit. Deducitur ipse
Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,
Syphilus; et jam, farre sacro vittisque paratis,
Purpureo stabat tincturus sanguine cultros.
Tutatrix vetuit Juno, et jam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miseri pro morte juvencum
Supposuere, feroque solum lavere cruore.
Ergo ejus facti æternum ut monumenta manerent,
Hunc morem antiqui primum statuere quotannis
Sacrorum. Ille tuum testatur, Syphile, crimen,
Victima vana, sacras deductus pastor ad aras.
Illa omnis, quam cernis, inops miserandaque turba

Tacta deo est, veterumque luit commissa parentum;
Cui votis, precibusque piis, numerisque sacerdos
Conciliat vates divos, et Apollinis iras.
Lustrati ingentes ramos et robora sanctæ
Arboris advectant tectis; libamine cujus
Vi mira infandæ labis contagia pellunt.
Talibus atque aliis tempus per multa trahebant
Diversis populi commixti e partibus orbis.
Interea, Europæ fuerant quæ ad cara remissæ
Littora, jam rursus puppes freta lata remensæ
Mira ferunt; late (proh fata occulta deorum!)
Contagem Europæ cœlo crebrescere eandem,
Attonitasque urbes nullis agitare medelis.
Quinetiam gravior naves it rumor in omnes,
Illo eodem classem morbo, juvenumque teneri
Haud numerum exiguum, et totis tabescere membris.
Ergo haud immemores, diras cecinisse volucres,
Affore, quum silva auxilium poscatur ab illa,
Continuo faciles nymphas solemque precati,
Intacti nemoris ramos, et robora ab alto
Convectare parant luco, medicataque sumunt
Pocula, pro ritu gentis; quo munere tandem
Contagem pepulere feram: quin dona deorum,
Haud patriæ obliti, et felicem ad littora silvam
Nostra jubent ferri, cœlo si forsitan isto
Assimilem pellant labem. Nec fata secundos
Ipsa negant Zephyros, facilisque aspirat Apollo.
Munera vos divûm primi accepistis, Iberi,
Præsens mirati auxilium; nunc cognita Gallis,
Germanisque, Scythisque, orbe et gavisa Latino,

Jam nunc Europam vecta est Hyacus in omnem;
Salve, magna deûm manibus sata semine sacro,
Pulchra comis, spectata novis virtutibus arbos;
Spes hominum, externi decus et nova gloria mundi!
Fortunata nimis, natam si numina tantum
Orbe sub hoc, homines inter gentemque deorum,
Perpetua sacram voluissent crescere silva.
Ipsa tamen, si qua nostro te carmine Musæ
Ferre per ora virûm poterunt, hac tu quoque parte
Nosceris, cœloque etiam cantabere nostro.
Si non te Bactra, et tellus extrema sub Arcto,
Non Merŏe, Libycisque Ammon combustus arenis,
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet, et molles Athesi labente recessus.
Et sat erit, si te Tiberini ad fluminis undam
Interdum leget, et referet tua nomina Bembus.

AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM VERONENSEM,

IN OBITUM FILIORUM SUORUM.

Batte, animos quando tristes, curasque levare
Musa potest, ego nunc sortem, casusque supremos
Ipse meos tristi solabor carmine tecum;
Et tecum dulces natos, quos funus acerbum
Abstulit, æterna et pariter caligine texit,
Conquerar: ut saltem tenebris, et nocte perenni,
Quantum opis est nostræ, miserorum nomina demam.
Quæ potui, dum vita illos auræque fovebant,
Exhibui genitorque gubernatorque duorum
Infelix: primas alter vix fingere voces,
Alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atque omen præbere parenti.
Quos ego (sed Zephyri spes portavere paternas)
Censueram, si fata darent, quum posceret ætas
Fortior, ad dulces tecum traducere Musas
Assiduos, citharamque humeris suspendere eburnam.
Inde, ubi jam cœlum, ac solem, fulgentiaque astra,
Terramque, et liquidos ignes, æquorque profundum
Mirari inciperent, latisque animalia campis,
Te monstrante viam, te rerum arcana docente,
Mens fuerat dulces sophiæ deducere ad hortos;
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favoni

Semper alit, semper cœlesti nectare pascit.
Hic tremulo, et longa confecto ætate parenti
Purpureos legerent flores; seniique levamen,
Threïcia canerent cithara, quæ plurima quondam
Audîssent, te populea meditante sub umbra,
Divino mirantem Athesim dum carmine mulces,
Et rerum canis, et teneri primordia mundi.
Fortunate senex, si natorum ore referri
Fata sinant, ut nata chao antiquissima rerum
Materies visi correpta cupidine pulchri
Arserit, atque deûm thalamo complexa jugârit
Corpora prima; quibus discordia nata hymenæis,
Et divisa locis, suprema petiverit ignis
Purior, et nitidis vicinus sederit astris;
Quem juxta per inane amplum se fuderit aër;
Ima autem tellus vasto circum obruta ponto
Constiterit; quam dudum hinc inde agitantibus undis
Substerni late campi, deformiaque arva
Paullatim apparere supra, et concrescere montes
Cœperunt, procul et nudas ostendere cautes,
Mox nemora, et virides undis mirantibus ornos.
Montanis tum speluncis, et rupibus altis
Exsiluere udæ formoso corpore nymphæ,
In viridi flavos siccantes littore crines.
O fortunatum nimium, si numina tantum
Hæc mihi servâssent, si non casura dedissent:
Verum aliter Lachesi visum est, quo tempore primum
Natorum cœpit producere fila duorum.
Quippe auram miseris, et dulcem noscere vitam,
Spemque sui dederat præbere; alia omnia ventis

Tradita, nocte atra et tenebris involverat Orci.
Non licuit firmos annis, viridesque juventa
Inspicere, et caræ ad metam deducere vitæ.
Nec potui votis, nec ope adjuvisse paterna
Clamantes, frustraque patris suprema petentes
Auxilia, et nota nequicquam voce vocantes.
Heu mortem invisam! quis te mihi, Paule, deorum
Arripit, et miserum complexibus abstrahit istis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deseris, et dulces auras et lumina linquis.
Quod te si tali dederant sub lege futurum
Fata mihi, non jam fuerat mœroris abunde?
Non gemitus? quid me e tam multis patribus unum,
Cœlicolæ, lacrimisque novis, et morte recenti
Opprimitis, caroque etiam spoliatis Iulo.
Heu, miserande puer, quanto plena omnia luctu
Liquisti abscedens! quem non vesana deorum
Incusavit inops, quum te complexa jacentem
Aspiceret laniata comas et pectora mater?
Ah misera, ah male fausta parens, quid numina fleta
Sollicitas? jacet ille, velut succisus aratro
Flos tener, et frustra non audit tanta gementem.
Ah misera! ah quid sublatum complexa moraris?
Ille tuus non jam est; vos illam in funere, matres,
Collapsam accipite, exanimemque reponite tectis.
  At vos, insontes animæ, carissima nuper
Pignora (quod misero superest optare parenti)
Semper avete mei, ut licuit, semperque valete.
Seu dulce Elysium functos, umbræque tenebunt
Sanctorum nemorum, puro seu sidera cœlo,

Ipse ego vos semper lacrimis, vos carmine tristi
Prosequar, et vestris persolvam justa sepulcris;
Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram
Summa dies, natis æquat quæ sola parentes.
Interea curas numeris, musaque levemus,
Batte, animos; quando rerum mortalis origo est,
Quando etiam vitæ nôrunt vasta æquora finem.
Scilicet et quondam veniet labentibus annis
Illa dies, quum jam curvo sub vomere taurus
Desudet, terramque gravis proscindat arator,
Nunc ubi cæruleæ rostris spumantibus undæ
Sulcantur, verruntque citæ freta longa carinæ.
Nec vos, o liquidi fontes! æterna manebunt
Sæcula, se tanto quamvis pater efferat amne
Eridanus, tumidusque fluat tot cornibus Hister;
Quin etiam äerii montes, mirabile dictu!
Taygetus, Syphilusque, jugo et Cymbotus opaco
Innumeras post æstates, ac sæcula longa,
Senserunt seniumque suum, supremaque fata:
Ex quo Materies thalamos, primosque hymenæos,
Atque elementa novus sensit discordia mundus.

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM,

ET GALEATIUM FLORIMONTIUM.

Dum vos fatidicos vates, arcànaque sensa
Volvitis, atque animum cœlesti nectare alentes,
Alloquiis, magnoque Dei consuescitis ori
Felices duce Giberto, Campense magistro;
Quid dicam miserum me agere, et quam ducere vitam
Irrequietum animi, et quærentem indagine vana
Naturam semper fugientem; quæ se ubi paullum
Ostendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, conversa sequentem eludit, et angit
Mœrentem seniique horas cassumque laborem?
Nuper enim tenues species simulacraque rerum,
Quæ fluere ex ipsis dicuntur, perque meare
Omnia, dum sector meditans, tacitusque requiro
Avia silvarum, et secreta silentia solus,
Cognovi tamen his spectris illudier ipsis;
Ut sensus feriant nostros, semperque lacessant,
Perque fores caulasque animæ ludantque, meentque,
Ac remeent, ipsamque nec inter somnia linquant.
Ergo hoc elusum studio, fessumque labore,
Tandem me miserata suos abduxit in hortos
Musa memor, tetricumque animum somno atque quiete
Curavit, numerisque et blando carmine fovit.
Tum mihi; Quo tandem, o semper mortalia quærens,
Hanc colere usque voles terram? nunquamne relinques

Has tenebras, nunquamne in lucem lumina tolles?
An nescis, quæcunque hic sunt, quæ hac nocte teguntur,
Omnia res prorsus veras non esse, sed umbras,
Aut specula, unde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidem, et maria alta, atque his circumfluus aër,
Et quæ consistunt ex iis, hæc omnia tenues
Sunt umbræ, humanos quæ tanquam somnia quædam
Pertingunt animos, fallaci et imagine ludunt,
Numquam eadem, fluxu semper variata perenni.
Sol autem, lunæque globus, fulgentiaque astra
Cetera, sint quamvis meliora prædita vita,
Et donata ævo immortali, hæc ipsa tamen sunt
Æterni specula, in quæ animus, qui est inde profectus
Inspiciens, patriæ quodam quasi tactus amore,
Ardescit; sed enim, quoniam hic non perstat, et ultra
Nescio quid sequitur secum, tacitusque requirit,
Nôsse licet circum hæc ipsum consistere verum,
Non finem; verum esse aliud quid, cujus imago
Splendet in iis, quod per se ipsum est, et principium esse
Omnibus æternum, ante omnem numerumque diemque.
In quo alium solem, atque aliam splendescere lunam
Aspicias, aliosque orbes, alia astra manere,
Terramque, fluviosque alios, atque æra, et ignem,
Et nemora, atque aliis errare animalia silvis;
Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.

Ergo, umbras quum jam satis, et specula illa, superque
Spectaris, longa jamdudum in nocte pererrans,
Eas tandem lucem, atque ipsum perquirere verum.
Quod quoniam longe sejunctum est corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem sensibus ullis

Naturam, scito esse animum tibi dissociandum
Corpore, purgandumque omni contage recepta,
Terrena labe, et mortalis luminis haustu;
Quærendæque aliæ silvæ, callesque tenendi
Sunt alii, meliorque Deum quæ semita monstrat.
Hæc Musa. O si te comitem dent rura beata
Bardolena mihi, o si quis nos propter amœnum
Benacum viridi silvis in littore sistat,
Atque olea, lauroque tegat, detque abdita vatum
Sensa, et utramque Dei præcepta evolvere legem.
Rura, oro, Giberte, tuo Benacea vati
Da, viridesque oleas, et multa protege lauro.
Ille tuas laudes primum canet, et tua facta
Inclyta Mæoniis numeris ad sidera tollet.
Ut puerum mirata sacro cum Tibride Roma
Ante annos meritis titulis et honoribus auxit;
Ut res Romana, et sacrorum tradita jussu
Pontificum tibi summa in te uno sæpe resedit;
Ut septem fremuere novis applausibus arces.
Macte animis, macte ingenio, tu trajicis æquor
Barbaricum, et ferro reges in bella ruentes
Alloquiis frenas, et cœptos ore tumultus,
Armaque, et hostiles animos, et prælia sedas;
Fœdera, amicitiasque feris, pacemque reportas
Italiæ, populisque Dei: nec te tamen ingens
Terra capit toto juvenem tot plausibus orbe
Exceptum; tua te pietas, tua maxima virtus
In cœlum vehit, et terræ dat spernere honores;
Dat contemnere opes, unique incumbere Olympo,
Ac solis divorum epulis, et nectare pasci.

Hæc ubi perpetuo cantavit carmine, et omnes
Respondent late rupes; tunc concitus œstro
Fatidico, plenusque Deo, Davidica vates
Ipse etiam pater interpres oracula solvit;
Dignus, qui ante omnes citharam pertractet eburnam,
Quam quondam Solymæ stupuere, arcesque Sionis.

AD FRANCISCUM TURRIANUM VERONENSEM.

Turri, si aut mihi villa et lar sit lætior, aut tu
Ferre domum tenuem possis, parvosque penates
Urbe procul ruri sese abscondentis amici,
Quantum ego te his mecum Caphiis in montibus optem,
Montibus his, ubi, si querulæ nemora alta cicadæ
Non rumpant, equidem vix nôrim æstatis adesse
Tempora, tam leni mitescit Julius aura!
Sed quid, si est angusta domus, dum pulvere et omni
Munda situ; dum sit nullo turbata tumultu,
Nescia curarum, nullius conscia culpæ;
Alta ubi per totum sit pax, et amica Camœnis
Otia, et integri per magna silentia somni?
Quid refert, alius minio laquearia rubra
Si inspicere, ipse velim fuligine nigra videre?
Si non dejectum cœlo Jovis igne Typhœa,
Terrigenasque alios, spirantia signa, videbis,
Admirans opus æterni memorabile Juli;
At bona Libertas aderit, quæ rura beata
Præcipue insequitur, simplexque incedit et exlex,

Hic tibi, si paullo digitus sit inunctior, aut si
Potanti insonuit cyathus, vel si pede utroque
Non steteris, nemo objiciet, nemoque sedentem
Arguet, hoc illi si fors super incubuit crus;
Stare, sedere, esse ex libito, et potare licebit.
Forsitan et, mihi quid vitæ, quid sit studiorum,
Nôsse optas, quo vel damnes, vel singula laudes.
Mane venit, juvat Auroram solemque videre
Nascentem, qui non alio consurgit Eoo
Pulchrior; unde nova lætantur singula luce,
Et silvæ, scopulique, et pictis nubibus äer.
Parte alia Benacum alto de colle saluto,
Centum cui virides invergunt flumina nymphæ;
Ipse sinu magno genitor magno excipit amne.
Tum juvat aut spectare boves mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulsas in pascua capras.
Præ caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, et grandes olido de corpore setæ;
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuso.
Interea natos discentes rustica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,
Qui libros, qui secum horæ solatia portent.
Hic legitur, viridique toro, saxove sedetur
Glandifera sub fago, aut castanea hirsuta.
At variæ circum silvis, et frondibus altis
Assuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent.
Tum densum nemus, atque umbræ per gramina læta
Jejunas nos invitant spatiarier horas.
At fessi hæc inter pueri sitiuntque, dolentque

Plus æquo retineri, et jam Musasque, librosque,
Et Pana, et gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrere, et aquas, et vina parârunt
Lucenti in vitro, et flores sparsere nitentes.
Advenio; primas atro lita mora cruore,
Aut grossi mensas ineunt, cors cetera, et hortus
Sufficit. Interea crebro sonat area pulsu,
Increpitat seges, et duri sub sole coloni
Alternis terram feriunt et adorea flagris;
Fit clamor, resonat tellus rupesque propinquæ,
Et paleæ sursum strepitu jactantur inanes:
Læta Ceres alto ridens despectat Olympo.
Umbra diem reliquum, somnus, librique, viæque
Producunt, dum siccam æstu Canis excoquit urbem.
Verum, ubi cæruleis serus sese extulit undis
Vesper, et in cœlum surgentia sidera vexit,
Vicina e specula, magni admirator Olympi,
Alta rupe sedens natis astra omnia monstro;
Accendoque animos patriæ cœlestis amore.
Illi admirari, et cognoscere sidera discunt
Cepheaque, Arctonque et servantem plaustra Bootem.
Hæc ergo præferre urbi, et contemnere magna
Si possis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? etiam has sedes, hæc limina magnus
Naugerus subiit, nec dedignatus adire est
Battus, amor Musarum, ipsum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.
Hic me etiam desueta deæ, medicumque, senemque,
Carmina jusserunt canere, et ridere beato
Illudentem urbem, et male sani murmura vulgi.

Verum, hæc Gibertus ne viderit ipse, caveto;
Ni forsan Bubulone animum curasque relaxans
Propter aquam viridi lætus consederit herba,
Qua placidus leni descendit Tartarus amne.
Scilicet hic numeros non aspernatur, et audit
Nos etiam, et nostram, quamvis sit rustica, musam.
Verum, ubi se sibi restituit, mentemque recepit
Illam alto intentam cœlo, seu sacra sacerdos
Munera obit, totum seu contemplatur Olympum;
Tum supra et Musas, et ruris numina supra est,
Vitam agitans divûm, diis se cœlestibus æquans.

IN MORTEM ALIPRANDI MADRUTII.

Impositum quum te pheretro, miserande Madruti,
Cerneret illacrimans Cæsar, circumque videret
Et spolia, et victis erepta ex hostibus arma,
Et modo victrices juxta mœrere phalanges,
Quantum, inquit, tua mors nostris inimica triumphis
Lætitiæ, decorisque adimit! spes quanta futuri
Tecum, Aliprande, cadit! Sed non tua vivida virtus,
Ut te hunc aspicerem, tua non promiserat ætas;
Sed fore, qui Solymis mecum atque Oriente subacto,
Barbaricis regum spoliis et mille tropæis
Olim magna tui decorares templa Tridenti.
Invidit Mors tanta tibi. Vos nobile corpus
Ferte ducis vestri, juvenes, et reddite matri

Exanimi: sed et hæc miseræ solatia ferte,
Tantum ipsam peperisse virum, qui Cæsaris usque
Et comes, et bene gestarum pars maxima rerum,
Cæsaris ex animo nullo delebitur ævo.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM

CARDINALEM AMPLISSIMUM.

Priscæ virtutis, Romani et sanguinis hæres,
Farnesi, quoniam nec dii munuscula læta
Despiciunt hominum, spicas, ac serta rosarum,
Libaque, et exigui devotum thuris honorem;
Tu quoque (si mores imitari, ac facta deorum,
Præcipue heroum est) non dedignabere parva
Frastori quæ dona tui, natusque paterque,
Perpetui affectus monumenta, ac pignora mittunt.
Hos tibi patre Lyco, Scylla genitrice, gemellos
Dat natus sua dona canes. Scyllæ inclyta origo
A Nilo est; Lycus a magno descendit Araxe;
Qui quondam Euganeas transmissi munus ad oras
Præstabant cunctis, sive aprum figere morsu
Esset opus, rapidum cursu seu vincere cervum.
Horum igitur sobolem natus tibi ab ubere matris
Nutriit ablatam, et nostris exercuit arvis
Venatu assiduo, et vires durante labore,
Nostrorum famam nemorum, geminumque ferarum
Terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,
Romanis eadem in campis si forte sequetur

Gloria, et ignota fors in regione juvabit.
At genitor, nati cum munere, carmina mittit
Hæc tibi; quæ, quamquam tristi fugiente senecta
Lætitias cantusque, tamen voluere Camœnæ
In te unum, dominæque mei, nimiumque potentes,
Ut canerem, Musaque canes comitarer amica.
Ergo tot rerum curis ac pondere tanto,
Quo premeris, dum rem Romanam, ac publica curas,
Si quando defessum animum, mentemque remittes
Liber, et ad dulces poteris te vertere Musas,
Hæc quoque nostra leges; ea si dignabere tanti,
Inter Romanas ut eant spectanda Camœnas.
Quod si etiam recreare animum corpusque juvabit
Venatu, et latos saltus ac densa ferarum
Lustra fatigare, et capreas agitare fugaces,
Tum canibus miscere tuis, tecumque vocare
Ne pigeat nato missos; hirsutior ille
Cuncta niger, tantum pedibusque et gutture canus,
Non invitus herum Tiberonis voce sequetur.
Ast Athiso (namque hoc alter de flumine nostro
Nomen habet) nec cursu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo suffusus terga colore,
Frontem albo pictus discrimine, pictus et albo
Cervicem, caudamque imam, pectusque, pedesque,
Addictus lateri nunquam discedet herili,
Tantus amor domini; nisi forte cupidine prædæ
Conspectæ impatiens etiam retinacula rumpat.
Hic tu, vel pulchro Calai, vel Tyndaridæ alto
Polluci similis, silvas latratibus omnes
Complebis, rupesque hominum clamoribus altas,

Vectus equo Hæmonio, et fulgenti clarus in ostro.
Attonitæ visu discent nemora inter amare
Rusticæ Hamadryades, discetis amare, Dianæ
Insuetæ comites: volucri sed concitus ille
Fertur equo, vestrosque alio deportat amores,
Insequiturque feras; ah! ne illum accensa cupido
Venandi, excitos silvis impellat in ursos,
Ne in sævos impellat apros; tibi cura, Dione,
Æneadum genitrix, sit custodire Nepotem,
Et juvenem ilicea defessum sistere in umbra.
Sat silvis animoque datum est; illum sua Roma
Poscit, et expectat lati res publica mundi.
I, spes magna urbis, rebusque vocantibus adsis.
  Interea, quando mihi divus habebere semper,
Ipse tibi Caphiis sacras in montibus aras
Instituam, qua se summo de vertice collis
Tollit, et æquatum Benaci prospicit æquor,
Et virides olea ripas, patriamque Catulli.
Hic tibi solennemque diem, et renovanda quotannis
Sacra, tuo statuam semper de nomine dicta.
Tunc rosa, tunc violæ, tunc purpurei hyacinthi,
Verbenæque senem deceant; tunc texere flores,
Et viridem cano capiti imposuisse coronam,
Lætitiaque diem, et multo producere Baccho,
Fallentem senium, et curas de corde fugantem.
Forsitan et Musarum aliqua, et tibi fautor Apollo
Plectra mihi, citharamque dabit; deus ipse canentem
Perque tuos annos, perque acta illustria ducet:
Infanti ut prima impellens cunabula Pallas
Accinuit cantu Grajo, cantuque Latino,

Scilicet et fari lingua assuefecit utraquè;
Ut puerum Aonio perfusum labra liquore,
Per dulces Musarum hortos et amœna vireta
Perduxit, nunc Uranie, nunc Calliopea,
Nunc Clio monstrante viam, nullaque sororum
Non donante rosas, et serta virentia lauro:
Tum mores animumque dedit, sensumque senilem,
Atque urbem regere, ac sacro splendere galero.
Nec jam Roma capit, sed lata in regna vocatum
Ad pacem Europæ, non te maria alta fatigant,
Non juga, non toties superatis nubibus Alpes.
Te Pœninæ arces, celerem te Norica saxa
Spectârunt rapido montana per ardua cursu,
Quantum sol cœli, tantum telluris obire
Matre dea comitante, et iter monstrante Nepoti.
Nec satis hæc; majora urgent. Germania nuper
Grata Deo, nunc ingeniis elata superbis,
Detrectare jugum imperii, et se opponere Patrum
Sanctorum placitis, et sacris legibus audet;
Nec jam Pontificum, nec jam ullos Cæsaris audit
Infelix monitus, sed lævo numine divûm
Arma parat; socium Cæsar te poscit in hostes,
Pro sceptro imperii, pro relligione deorum.
Tunc primum attonitæ gentes videre Latinæ
Te, fratremque tuum, patria virtute, animisque
Invictis pariter, res duri et munera belli
Tractantes; gemini quales duxisse feruntur
Tyndaridæ pulchri Graias in bella cohortes.
Tunc primum Romana acies, antiquaque virtus
Visa fuit; ducibus tantis Mavortia pubes,

Progenies, sive imperiis et Marte regendæ
Sint res Romanæ, seu religionis habenis.
Atque equidem e fracto imperio, Romaque cadente,
Servatam hanc stirpem fato, statuentibus et diis
Crediderim, quo Romanum per sæcula nomen
Staret, et ara Dei, quæ primum maxima magnis
Auspiciis fundata fuit, sit maxima semper.
Quo me, Paule, rapis, quo tuque Neposque vocatis
Laudibus heroum insuetum? tu maximus ille es,
Uni cui regni triplicis capite alta tiara
Consurgit, cui summa uni terna illa potestas
Terrarum, cœlique data est, vastique profundi,
Illorumque aperire fores, et claudere posse;
Qui Petri, Christique ratem turbante procella
Ventorum varia, et remorum parte revulsa,
Tempestatem omnem, atque adversos discutis Eurus;
Nec sanctam sine honore sinis, sine remige certo
Fluctibus in tantis agitari turbine cymbam;
Macte animo Romano, et macte ingentibus ausis.
At tibi quas, juvenis fortunatissime, dignas
Attribuam laudes, generis spes altera tanti,
Inclyte Alexander, puerum quem plurima virtus,
Canaque consurgens teneris prudentia in annis,
Et spondens majora astris felicibus æther
Ad summos meritum ante annos evexit honores,
Et sacri gestare dedit decora alta galeri?
En quantum de te sacri sibi Pastor ovilis
Spondet avus tuus ille, animo quæ gaudia versat!
Forsitan et proprio non tam gavisus honore,
Quam spe sublatus, tanti et virtute Nepotis,
Nescio quid majus præsaga mente volutat:

Scilicet et gnarus fatorum, et præscius ævi
Venturi, illa videt felicia tempora, quum tu
Sede sua, solioque dei, diis proximus ipsis
Consideas; quum Pontifici tibi maximus orbis
Gratetur, supplexque tuis ferat oscula plantis.
O mihi postremæ tantum dent numina vitæ,
Ipse etiam ut tum te tremulus, confectus et annis
Aspiciam, sanctosque pedes prostratus adorem!
O et si possim canere, et tua dicere facta,
Et ventura novo tecum sæcla aurea mundo!
Nam video sub te victum longeque fugatum
Maumethen se Caucaseis includere portis;
At Pacem viridi redimitam tempora oliva
Ire per Europam magnam, atque invisere terras;
Quam pia Relligio, et junctis Concordia dextris,
Et Probitas, et Amor recti comitentur euntem.
Salve, magne Tibri! salve et tu, maxima rerum
Roma parens! salvete arces, collesque Latini!
Aurea qui primi longo meministis ab ævo
Sæcula, quum nulli variarent jugera sulci,
Sponte sua sed terra ferax daret omnia, et ipsæ
Præberent dulci victum de robore glandes;
Et nunc venturis eadem speretis ab annis.

AD JULIUM III.

PONTIFICEM MAXIMUM.

Maxime divini Pastor gregis, inclyte Juli,
In terris cui summa uni est concessa potestas,
Sceptra vicesque Dei gerere, et regna infera Ditis,
Cœlorumque fores aperire, et claudere posse;
Si tu, dum magnæ Italiæ, dum prospicis omni
Europæ, et vasta mundi sub mole laboras,
Paullisper potes a tantis secedere curis,
Et potes agrestes pastorum audire Camœnas,
Nunc aures adhibe placidas mihi; namque ego, quæ Pan,
Pan magnus cecinit nostros venturæ sub annos,
Nunc referam, tua, magne Pater, pars maxima quorum est,
Cujus ab auspiciis Parcæ nova sæcula volvunt.
Nec te pœniteat pastorem audire canentem;
Quando etiam Admeti tauros formosus Apollo
Pavit ad Amphrysi ripas, tenuique cicuta
Non puduit cantare deum sub tegmine acerno,
Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.
Scilicet et tu etiam post grandia nomina Pastor
Diceris, atque hoc in primis cognomine gaudes,
Et pecudes curare soles, pecudumque magistros.
Forte ego, dum medio terras sol excoquit æstu,
Ipse Suessani pastor puer incola campi
Ducebam pastas viridi de valle capellas

In nemorum secreta, umbras et frigora quærens,
Qua placidus cursu descendit in æquora Lyris.
Est lucus, prisci quem sacravere Latini
Silvano; in cujus medio densa ilice cinctum
Est pratum, agrestes ubi dii persæpe videri
Audirique solent; hic capripedes Satyriscos
Pastorumque manum junctis per mutua palmis
In gyrum canere, et lætas agitare choreas
Invenio admirans; medius Pan magnus ovantem
Ad calamos cantusque regit ducitque coronam.
Dumque deus canit ipse, silet tum cetera pubes:
Dum silet ille, alii thiasos cantusque sequentes
Instaurant, repetuntque dei postrema canentis.
Ingeminat postrema nemus, respondet et Echo.
Tum me respiciens, mihi sanguine proximus Anthus,
Anthus, Aquinatis pastor gregis, Huc, puer, inquit,
Huc ades, o Neore, et te his adjunge choreis;
Aut, spectare magis si te juvat, aggere ab illo
Prospice, dum saturæ sua ducant otia capræ.
Cui ego; Quin potius juvet hoc de cespite vestros
Spectantem lusus, molli requiescere in herba.
Et tum forte deus buccas sandyce rubentes
Inflans, et picea frontem præcinctus acuta,
Ad calamos circumsiliens, hæc carmina cantu
Fatidico insanus latas fundebat ad auras:
  Dicite io, Satyrisci, et io gemmate, coloni;
  Aurea felici nascuntur sæcula mundo.
Excipiunt juvenes, iterat nemus, assonat Echo:
Aurea felici nascuntur sæcula mundo.
Tum sequitur deus; Ante tamen rex magnus Olympi

Bellumque, horribilemque famem, diramque flagellis
Armatam Alecto e tenebris, et faucibus Orci
Immittet terris, genus ut mortale coercens
Castiget, fraudesque hominum, fastusque superbos,
Et luxus, et spes miseras, et gaudia vana:
Dum tandem sese, atque deos cognoscere discant.
Mox tantum exspectatum illud, quod carmine sacro
Tot vates cecinere pii, felicibus astris
Adveniet tempus, quo mons ille arduus, ille
Mons ingens, sublime caput super omnia tollat
Culmina, sidereum qui vertice tangat Olympum;
Quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.
Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur sæcula mundo.
Hoc in monte Dei pecudes pascentur et agni,
Graminis æterni pingues, et velleris aurei;
Exsilient et aquæ vivæ, quibus ubera capræ
Grandia distendant, distendant ubera vaccæ;
Non malus hic serpens, non noxia creverit herba,
Non sentes, sterilisve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta seges, sed bis gravis uva racemis;
Corticibusque cavæ sudabunt balsama pinus.
Hinc magnis præstantem animis et fortibus ausis
Fortunata nimis Pastorem hæc sæcula habebunt,
Qui virtute regat populos, et legibus æqui,
Divinas qui pascat oves, et pascua late
Extendat, pecudesque ipsas et ovilia servet.
Hic primum diram Alecto et Cocytia monstra
Caucasea ferrata religabit rupe catena.
Inde famem miseram e Latio populisque deorum

Pellet in hostiles gentes, et barbara regna.
Tum læta Ubertas, segetumque onerata maniplis
Alma Ceres Italas spicis venerabitur aras;
Quam circum pueri salient, et rustica pubes,
Ridentesque jocos incomtaque carmina dicent.
At noti Musis Damones et Alphesibœi
Vota Patri magno, laudesque et sacra, canentes,
Æternis illum numeris ad sidera tollent,
Heroemque, deumque, salutiferumque vocabunt.
Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur sæcula mundo.
Ille animum mox ad pacem, et discordia regum
Pectora convertet; sanctisque hortatibus iras,
Atque odia, et cæcos regnorum et laudis amores,
Horrendamque sitim cædis, fusique cruoris
Sedabit, pelletque feri mala semina belli.
Tum Pax alma ferens ramos felicis olivæ,
Atque Amor, et junctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, et generis Hymenæus amator,
Invisent late populos, Latiique per arva
Lætitiam, risusque ferent; tum justa cupido
Bellorum, piaque arma, Dei vertentur in hostes.
Jam video augustis late plena æquora velis
Fervere, jam trepidare vagi septem ostia Nili,
Euphratemque, Tigrimque suo se condere in amne.
Jam nec Bactra ipsum capiunt, non India tota
Maumethen fugientem, ipsum non Caucasus ingens,
Non qui tot silvas, juga tot comprendit Imaus.
Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur sæcula mundo.

Quænam, quæ properant tantæ per cærula puppes
Devotæ ad Tiberim, magnæque ad mœnia Romæ,
Ceu densæ ad nidos latum per inane columbæ?
Agnosco gentem innocuam, numerumque beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quæ cœlo olim divisque fruantur.
En! jam sanctam Urbem, jam septem in collibus aras
Impositas, summique pedes Pastoris adorant.
Hos inter, video, et nostri longa æquora sulcant
Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
Arcades. O soli quondam cantare periti
Pastores, quos Justitia e tellure recedens
Postremos liquit, nunc rursus læta revisit,
O sancti, properate; vocat Deus æthere ab alto;
Vos alius jam grex, aliudque exspectat ovile.
Quin venit illa dies, quum nos quoque Mænala nostra,
Arcadiamque omnem, qua immani a gente repulsi
Fugimus in Latium, longo post tempore tandem
Visamus, dulcemque auram; o placidissime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycæi,
Quando ego per vestros meditabor carmina lucos?
Mænalios quando recinet mea tibia versus?
Mœnalus auritas, dantesque oracula quercus
Semper habet, semper doctas ille audit avenas.
Concipe Mænalios, mea tibia, concipe versus.
Talia cantabat memorans Pan magnus; at Anthus,
Hæc referes, puer, inquit, et hoc tibi munus habeto,
Nunc parvum; ventura dies majora reservat.
Tum mihi fiscellam dono dedit optimus Anthus
Dicere et occasus astrorum, dicere et ortus,

Et quid quæque ferat tellus, quæ commoda Baccho,
Quæ Cereri, quidnam ventos, quid nuntiet imbres,
Quæ tempestatum, cœli quæ signa sereni;
Denique quæ cunctis natura sit indita rebus:
Virtutem in primis et honestum quemque docere,
Ac vitii ipse expers, aliena notare paratus.
Et jam tempus erat pastum deducere capras.

ANDREÆ NAUGERII

POEMATA.

VOTA CERERI PRO TERRÆ FRUGIBUS.

Aspice, magna Ceres, tibi quos semente peracta
Ducimus agrestes rustica turba choros.
Tu face, ne nimio semen putrescat ab imbre,
Neu sulcos rapido frigore rumpat hiems;
Neu sterilis surgat silva infelicis avenæ,
Et quæcunque bonis frugibus herba nocet;
Neu terræ prostrata animosi flatibus Euri
Decidat, aut densa grandine læsa seges;
Neu directa avidæ rapiant frumenta volucres,
Monstrave, quæ terræ plurima sæpe ferunt:
Sed quæ credidimus bene cultis semina campis,
Uberius largo fœnore reddat ager.
Sic erit: interea nivei carchesia lactis
Fundite, et annoso mella liquata mero;
Terque satas circum felix eat hostia fruges,
Cæsaque mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis hæc: post messem alii reddentur honores,
Et sacras cingent spicea serta comas.

VOTA AD AURAS.

Auræ, quæ levibus percurritis æra pennis,
Et strepitis blando per nemora alta sono,
Serta dat hæc vobis, vobis hæc rusticus Idmon
Spargit odorato plena canistra croco.
Vos lenite æstum, et paleas sejungite inanes,
Dum medio fruges ventilat ille die.

VOTA DAMIDIS AD BACCHUM PRO VITE.

Hanc vitem, multa quæ semper fertilis uva
Haud unquam domini fallere vota solet,
Nunc etiam large florentem consecrat ipse
Vineti cultor Damis, Iacche, tibi.
Tu face, Dive, tua hæc spem non frustretur; et hujus
Exemplo fructum vinea tota ferat.

AUGONIS VENATICI CANIS EPITAPHIUM.

Venator celerem mœrens Augona Melampus
Confossum rapido dente ferocis apri,
Hac illi in ripa tumulum, frondente sub umbra,
Erigit; hoc ipso concidit ille loco.

Non impune quidem prædo sceleratus abivit;
Procubuit jaculis cæsus, et ore canum.
Tu tamen e cunctis canibus præstantior, Augon,
Fide Augon, silvis qui modo terror eras;
Tu, dilecte, jaces: sed ab alta hac fascia pinu,
Millusque, et millo vincula juncta suo,
Quin decisa feri cervix tibi pendeat hostis;
Sintque una ex animo signa dolentis heri.

INVITATIO AD AMŒNUM FONTEM.

Er gelidus fons est, et nulla salubrior unda;
Et molli circum gramine terra viret;
Et ramis arcent soles frondentibus alni;
Et levis in nullo gratior aura loco est;
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est;
Exustusque gravi sidere fervet ager.
Siste, viator, iter; nimio jam torridus æstu es;
Jam nequeunt lassi longius ire pedes.
Accubitu languorem, æstum aura, umbraque virenti,
Perspicuo poteris fonte levare sitim.

DE OBITU HYLACIS CANIS PASTORII.

Ante canes omnes pastori carus Amyntæ,
Nuper ab Illyrico littore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, et septa tuetur,
Nec vigilant socii, cætera turba, canes;
Qua rapidus sese media inter saxa Timavus
Mergit, et inde iterum prosilit amne novo;
Ille quidem sæva vitulos tutatus ab ursa est,
Ipse sed ingenti vulnere cæsus obit.
Constituit viridi tumulum de cespite Amyntas;
Hæc voluit raram præmia habere fidem.
Mœsta gemunt armenta; mali furesque, lupique
Exstincto hoc sibi jam cuncta licere putant.

VOTA VENERI, UT AMANTIBUS FAVEAT.

Illi in amore pares, vicini cultor agelli
Thyrsis, cumque suo Thyrside fida Nape,
Ponimus hos tibi, Cypri, immortales amaranthos,
Liliaque, in sacras serta parata comas.
Scilicet exemplo hoc, nullo delebilis ævo
Floreat æternum fac, dea, noster amor.
Sit purus, talisque utriusque in pectore candor,
In foliis qualem lilia cana ferunt;
Utque duo hi flores serto nectuntur in uno,
Sic animos nectat una catena duos.

IN VANCIUM VICUM PATAVINUM AMŒNISSIMUM.

BLANDA O Näiadum cohors sororum,
Quæ Vanci nitido latetis amne,
Fusæ colla decentibus capillis,
Quos large ambrosii rigant liquores,
Comtæ et carbaseo sinus amictu;
Exite e liquidis simul latebris,
In vestros simul hic adeste lusus,
Quos large Zephyro favente tellus
Vernos florida suggerit per agros.
En! scandentibus hinc et hinc flagellis
Per flavas salicum comas pererrans
Vitis pampineas ministrat umbras;
Per quas sibila murmurantis auræ
Jucundum tenero strepunt susurro.
Hic gemmantibus hinc et hinc rosetis
Cultas texere vos licet coronas;
Et passim simul omnium colorum
Lectos in calathis referre flores;
Queis comtas pariter comas revinctæ,
Queis sparsæ teretes simul papillas,
Ductetis pariter choros licentes;
Ductetis hilares simul choreas.
Sed quid splendidius nitescit aër?
Quid fragrantius huc feruntur auræ?

Rident omnia, et aëre in sereno
Spirarunt Cyprii, Syrique odores.
Agnosco; resonis strepunt querelis
Olores Paphii, Cupidinumque
Concussæ ex humero sonant pharetræ;
Ad flores properat suos Dione.
Nunc vos Vanciades simul sorores
Instaurate choros licentiores.
Et novæ Venerem decent choreæ,
Et chori Venerem licentiores.
Huc mitis, Dea, mitiorque semper
Adsis muneribus benigna nostris,
Quæ versis tibi fundimus quasillis,
Quæ pictis tibi teximus coronis.
Incultis face Vancium rosetis
Pæstum vincere, floridumque Tibur.
Hæc non bruma rigens, calorque lædat,
Hæc non flamina pestilentis Austri;
Sed semper tibi cultius nitescant;
Sed semper genitalibus Favoni
Tua in munera mulceantur auris.

DE PATAVIO A MILITIBUS VASTATO.

Urbs, quam vetusto vectus ab Ilio,
Post fata Troum tristia, post graves
  Tot patriæ exhaustos iniquo
    Tempore, tot pelago labores,
Ducente demum Pallade, qua rapax
Cultos per agros Medoacus fluit,
  Diis fretus Antenor secundis
    Condidit, Euganeis in oris!
Tu nuper et flos, et decus urbium,
Quascunque tellus Itala continet,
  Magnas tot artes, tot virorum
    Ingenia, et studia una alebas.
Te septicornis Danubii accola,
Te, fulva potant flumina qui Tagi,
  Longeque semoti Britanni
    Cultum animi ad capiendum adibant.
At nunc (acerbi heu sæva necessitas
Fati) severas ut pateris vices!
  Ut te ipse vastatam vel hosti
    Conspicio miserandam iniquo!
Quid culta tot pomaria conquerar,
Tot pulchra flammis hausta suburbia?
  Quid glande deturbata ahena
    Mœnia, præcipitemque sævi
Mavortis iram, bellaque persequar
Horrenda? squamis ille adamantinis,

Ferroque consertam rigenti
Induerat chlamydem trilicem;
Fremensque, et atrum lethifera manu
Telum coruscans, secum odia, et necis
Contemtum, et insanos tumultus,
Secum animos, rabiemque agebat.
Ille, urbe ab imis sedibus eruta,
Implêsset omnes funeribus domos;
Non ille vel sexu, vel ullo
Efferus abstinuisset ævo.

IN AURORAM.

Dia Tithoni senioris uxor,
Quæ diem vultu radiante pandis,
Quum genas effers roseas rubenti
Prævia soli,
Roscidos ut nunc per agros vagari
Sub tuo adventu juvat; et recentes,
Quæ tuos semper comitantur axes,
Excipere auras!
Sicca jam sævus calor uret arva;
Jam vagi aurarum levium silescent
Spiritus; jam sol rapidus furentes
Exseret ignes.
Dum licet, læti simul ite amantes;
Dum licet, molles pariter puellæ,
Ite, flaventes vario capillos
Nectite serto.

Nunc simul telis positis Amores
Matris hærentes lateri, et decentes
Gratiæ plenos referunt resecto
Flore quasillos.
Per feros saltus, per iniqua lustra,
Undique occultas agitans latebras
Fertur, et silvas varia ferarum
Strage cruentat
Clara Latonæ soboles; nitenti
Huic comæ in nodum religantur auro;
Pendet aurata ex humeris pharetra,
Pendet et arcus.
Circum eunt Nymphæ simul; illa cursu
Gaudet effusos agitare cervos;
Hanc juvat certis jaculis fugaces
Figere lyncas.
Nunc ab umbroso simul esculeto
Daulias late queritur; querelas
Consonum circa nemus, et jocosa
Reddit imago.

AD VENEREM.

Diva, quæ has cœli generatim in auras
Cuncta producis, cupidumque amorem
Undique infundens, facis, ut perenne
Sæcla propagent;
Qua nihil lætum sine, amabile est nil,
Nilque jucundum; sine qua nec ipsæ

Gratæ erupt cuiquam Charites, nec ipsa
Blanda Voluptas;
Dum tibi lætus reparatur orbis,
Dum per herbosos pecus omne campos
Vim tuam sentit, tibi plaudit omnis,
Diva, volucris;
Dum nihil, quamvis rigidum feroxque, est,
Ossibus quod non penitus sub imis
Sit tua tactum face, quod tuos non
Sentiat ignes;
Una erit flammarum, et amoris expers,
Una secura his Lalage resistet?
Tange, age, ultrici, dea, pertinacem
Tange flagello.
Quod si ita tanges, fera ut obstinatum
Applicet nostris animum querelis,
Nec preces ultra miseras superba
Negligat aure;
Conseram lætam tibi, Diva, myrtum,
Vancius qua se rosifer revolvit;
Hanc mero supplex, niveo et rigabo
Lacte quotannis.
Hanc et immistæ pueris puellæ
Circum agent lætas pariter choreas;
Teque prima unam, simul ultima unam
Voce canent te.
Te canent unam, volucremque natum;
Qui ferox, duro et similis parenti,
Acer et flamma est, et agente certum
Cuspide vulnus.

Spargam odoratas violas, rosasque
Ipse ego, votique reus secabo
Grata torquatæ ante tuas columbæ
Guttura flammas.

GENETHLIACON PUERI NOBILIS.

Vos mihi nunc magnos partus, ortusque beatos
Felicis pueri, quo pinguia culta vetusti
Naonis exsultant, quo Carnia tota superbit,
Dicite, Pierides: vos illum e matre cadentem
Excepistisque sinu, et vestris fovistis in ulnis,
Et teneram molli cinxistis baccare frontem.
Nec vero vos tantum has accessistis ad oras,
Nec solæ venistis ad hæc vos munera, Musæ;
Adfuit ipsa etiam pariter, spargensque salubres
Pyxidos arcanæ succos, partusque dolores
Leniit, et matrem fœtu Lucina levavit.
Adfuit Idalio veniens e colle Dione,
Nectare odorato crines perfusa fluentes,
Assuetæque leves Charites ductare choreas.
Hæ simul ambrosia puerum lavere liquenti,
Et parvas tenui cunas stravere ligustro.
Venit et undisonis properans Naucelus ab antris;
Quem prope cæruleo e fluctu formosa Metune
Ibat: eos circum violasque, rosasque rubentes
Vimineis Nymphæ calathis, et serta ferebant
Purpureo e narciso, eque auricomo chrysantho.

Quæ postquam totas passim sparsere per ædes,
Jucundoque domus late fragravit odore,
Protinus ecce Jovis magni de limine Parcæ,
Antiquæ Parcæ, niveo queis corpora amictu,
Canaque Chaonia velantur tempora quercu.
Hæ postquam et matrem complexæ, et fronte serena
Oscula junxerunt parvo felicia nato,
Candida versato torquentes vellera fuso,
Fatidico tales fuderunt pectore voces.
O fausto nimium cœlo divisque benignis
Nate puer, cresce, et dulces solare parentes;
Et fatis lætare tuis: tuque, optima mater,
Tuque, boni genitor pueri, quos omine dextro
Castus Hymen quondam thalamo sociavit in uno,
Accipite hæc lætis animis, neu posse moveri
Credite, quæ vero concordes ore canemus.
Qualis in aprico se tollit amaracus horto,
Quam studio solers omni formosa puella
Ipsa suos alit in lusus, et lenibus undis
Irrigat; illa leves paulatim surgit in auras
Pulchrior, et dulcem late diffundit odorem;
Sic puer augescens primo se tollet in ævo,
Nec se quisquam illi formoso conferet ore.
Mox ubi jam validus teneris excesserit annis,
Tunc illum sacras artes doctæque docebunt
Aonides, princepsque chori formosus Apollo.
Illi et divini latices Aganippidos undæ,
Et virides Hæmi saltus, Pindique patebunt.
Mars quoque bellipotens simul, et Tritonia virgo
Muneribus bellorum, et sævis instruet armis.

Doctior haud illo quisquam, seu cominus ense,
Seu sit opus valida concurrere longius hasta;
Sive inflectere equum, atque arctis compescere habenis,
Seu libeat laxare, et aperto currere campo.
O quoties medio ferventem in turbine belli
Conversæ fugient acies; at percitus ille
Obvia quæque metet infesto corpora ferro;
Non secus ac præceps hiberno flumine torrens,
Quum tumidus late, ac pluviis hiemalibus auctus
Proruit adversas insano vortice silvas;
Obstantesque trahit ripas, camposque per omnes
Cum sonitu ruit, et rapido rotat omnia fluctu.
Fortunate puer! nunquam non victor in hostem
Bella geres, magnique æquabis facta parentis.
Ille olim magnos Gallorum stravit acervos,
Italaque hostili manârunt arva cruore;
Tum, quum cæsa virûm serpens per corpora Liris
Æquoreas cursum vix tandem invenit in undas.
Ille idem gelida quum gens immanis ab Arcto
Ausonios passim sese effudisset in agros,
Audaces animos ingenti strage repressit,
Alpinasque nives Germano sanguine tinxit.
Nunc quoque fallaces abrupto fœdere Gallos,
In Latios iterum fines prædamque ruentes,
Proteret, et victos (divinis credite Parcis)
Italia expellet; cœloque æquabit honores.
At tu, si qua tuo restabunt bella parenti,
Ausoniam infenso nec dum pacârit ab hoste,
Ipse tua fidens animi virtute subibis.
Hæc primum; mox externas egressus in oras

Implebis totum factis audacibus orbem.
Te duce et Ausoniæ rursum rediviva resurget
Gloria, et antiquum late victricibus armis
Reddetur Latio imperium: tua signa timebunt
Una omnes passim populi, quaque incidit alto
Æquore, et Oceano ferventes abluit axes,
Quaque coloratis effert se Phœbus ab Indis.
Tum demum placida contentus pace quiesces;
Sævaque mitescet posito Discordia ferro.
Aurea tum veniet sæclis melioribus ætas;
Felicesque anni, et Saturnia regna redibunt.
Tum Pax alma colet terras, Astræaque virgo;
Immersumque gemet Stygio scelus omne barathro.
Felices, qui tam læto nascentur in ævo.
Tu vero ante alias superis gratissima tellus,
Quam tanto divûm genitor dignatur alumno,
Tu nitidas passim fruges, arbustaque læta,
Sponte tua, nulloque hominum cogente labore,
Produces; humiles sudabunt mella genistæ,
Incultique ferent candentia lilia vepres.
Finierant Parcæ: tum Jupiter æthere ab alto
Intonuit lævum; et cœli de parte serena
Perspicuus multo fulgor cum lumine fulsit.

M. ANTONII FLAMINII

POEMATA.

DE DELIA.

O Fons Melioli sacer,
Lympha splendide vitrea,
In quo virgineum mea
Lavit Delia corpus;
Tuque lenibus enitens
Arbor florida ramulis,
Qua latus niveum, et caput
Fulsit illa decorum;
Et vos prata recentia,
Quæ vestem nitidam, et sinum
Fovistis tenerum uvida
Læti graminis herba;
Vosque auræ liquidi ætheris,
Nostri consciæ amoris, adeste, dum queror, atque vos
Suprema alloquor hora.
Si sic fata volunt fera,
Si sic est placitum deis,
Ut nobis amor impia
Morte lumina condat,

Saltem pro pietate mea
Hoc concedite, frigidum
Ut corpus liceat mihi
Vestra ponere terra.
Sic satis moriar libens,
Si spes hæc veniat simul;
Quod nullo melius loco hos
Linquet spiritus artus.
O si tempus erit modo,
Cum suetum huc aditum ferat,
Quæ nos ante diem nigros
Cogit visere manes,
Et locum aspiciens, ubi
Illo purpureo die
Me vidit, miserum suis
Multum quærat ocellis!
Sed jam frigida pulverem
Inter saxa videns, statim
Pectore ardeat intimo, et
Me sic fata reposcat,
Ut vitæ veniam impetret,
Et cogat superos suum
In votum, humida candido
Tergens lumina velo.
Pulchris undique ramulis
Instar imbris in aureum
Manabant dominæ sinum
Flores suave rubentes;
Talis Idalia Venus
Silva, sub viridi jacet

Myrto, puniceo hinc et hinc
Nimbo tecta rosarum.
Hic flos purpureas super
Vestes, hic super aureos
Crines, hic rosei super
Oris labra cadebat;
Ille gramine roscido
Insterni, hic vitrea super
Lympha nare, alius cito in
Gyrum turbine verti.
Leni murmure candidum
Audisses Zephyrum tibi
Palam dicere, Regnat hic
Blandi mater Amoris.
Tunc mecum ter et amplius
Dixi; Aut venit ab æthere
Hæc alto, vel Oreadum
Certe sanguinis una est.
Sic et blanda protervitas,
Sic et virgineum decus
Oris, verbaque dulcia
Memet abstulerant mihi,
Ut suspiria ab intimo
Fundens pectore, sæpius
Dicerem; Huc ego qua via,
Quove tempore veni?
Nam super nitidum æthera
Evectus volucri pede, et
Magni concilio Jovis
Interesse videbar.

Illo ex tempore frigerans
Fons, et prata recentia, et
Arbor florida sic mihi
Mentem amore revinxit,
Ut, seu nox tenebris diem
Pellit, seu rapidum fugit
Solem, non alia miser
Unquam sede quiescam.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

Pulchræ Naïades, bonique Fauni,
Dilectum juvenem vocate ad istas
Mecum delicias. Ades, Quiritum
Alexander ocelle; sat tulisti
Dura frigora, sat graves calores,
Et casus varios periculorum.
Te vidit Tagus aurifer citatis
Equis currere, te rapacis unda
Rheni, te Liger, et Garumna vidit
Iratos properantem adire reges,
Et componere bella, fœderumque
Leges dicere: te feras per alpes
Nuper terrificis euntem in armis
Faunique stupuere Oreadesque,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petis Vindelicas tremendus oras,

Et magnum Carolum tuo labantem
Firmas præsidio, trucesque nostris
Agris Teutonicas minas repellis.
Sed jam desine, jam satis laborum
Pro cara Italia subisti: omitte
Curas urbis, et orbis, æstuosa
Dum Canicula sævit, otiumque
Præfer dulce negotiis, ut alti
Virtus Scipiadæ solebat olim
Factitare, tumultuosa Romæ
Linquens mœnia ter quaterque in anno,
Hic quiesce parumper, hic molestis
Te furare laboribus; licebit
Horas fallere fervidas legendo
Musæ versiculos Horatianæ,
Et quæ Mæonides sacer, sacerque
Canit Virgilius; licebit antra,
Et fontes gelidos adire; risus
Et joci comites procul fugabunt
Curas, tristitiamque; nec pudebit
Modo incompositos videre motus
Saltantis Pholoes, modo assidere
Canenti Meliboeo; aves tenaci
Visco fallere, piscibus juvabit
Dolos tendere vitreis sub undis,
Nec cervi, leporesve, capreæve
Absunt; accipiterque copiosas
Hic prædas agit: omnibus venusta
Rura denique gaudiis redundant.
Ergo mœnia Romuli, et severa

Cuncta desere; sed cavebis illas
Turmas innumerabiles clientum
Tecum ducere; sit comes Mapheus,
Et Mirandula, Romulusque, docti
In primis homines, bonique; ad illos
Addantur alii viri elegantes,
Sed pauci tamen; haud beata gustes
Ruris commoda, ni superfluentes
Pompas urbis in urbe derelinquas.

AD AGELLUM SUUM.

Formosa silva, vosque lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum;
Quam me beatum, quamque dîs putem acceptum,
Si vivere et mori in sinu queam vestro!
Nunc me necessitas acerba longinquas
Adire terras cogit, et peregrinis
Corpusculum laboribus fatigare.
At tu, Diana, montis istius custos,
Si sæpe dulci fistula tuas laudes
Cantavi, et arma floribus coronavi,
Da cito, dea, ad tuos redire secessus.
Sed seu redibo, seu negaverint Parcæ,
Dum meminero mei, tui memor vivam,
Formosa silva, vosque lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum,

AD EUNDEM.

Umbræ frigidulæ, arborum susurri,
Antra roscida, discolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphæ, garrulæ aves, amica Musis
Otia; o mihi si volare vestrum
In sinum superi annuant benigni,
Si dulci liceat frui recessu,
Et nunc ludere versibus jocosis,
Nunc somnum virides sequi per umbras,
Nunc mulgere mea manu capellam,
Lacteoque liquore membra sicca
Irrigare per æstum, et æstuosis
Curis dicere plurimam salutem;
O quæ tunc mihi vita, quam beata,
Quam vitæ similis foret deorum!
At vos, o Heliconiæ puellæ,
Queis fontes et amœna rura cordi,
Si cara mihi luce cariores
Estis, jam miserescite obsecrantis,
Meque, urbis strepitu tumultuosæ
Ereptum, in placido locate agello.

AD PATREM MORIENTEM.

Vixisti, genitor, bene ac beate,
Nec pauper, neque dives, eruditus
Satis, et satis eloquens, valente
Semper corpore, mente sana, amicis
Jucundus, pietate singulari.
Nunc lustris bene sexdecim peractis
Ad divûm proficisceris beatas
Oras; i, genitor, tuumque natum
Olympi cito siste tecum in arce.

AD ANTONIUM MIRANDULAM.

Antoni venerande, anima mihi carior ipsa,
Romamne semper incoles?
Te nec avaritiæ morbus, nec fervida honorum
In urbe detinet sitis.
Vis igitur properemus, ubi Dovadula Musis
Amica præbet otia?
Hunc agrum dat habere tibi Farnesius heros,
Quo nil amœnius, neque
Fertilius, Baccho et Cereri gratissima tellus
Togata cernit Gallia.
Has, age, delicias et dulcia rura petamus,
Quo pulcher Autumnus vocat,
Et Bacchus pater, et virides Pomona per herbas
Cum Gratiis ducens choros.

Jam videor tecum patula projectus in umbra
Ad lucidi fontis caput,
Discere, nubigenam quæ mille coloribus Irim
Vis pingat imbris nuntiam;
Cur cadat æstivo glacialis sidere grando;
Quis tantus excitet furor
Ventos, horrisonas curvato gurgite ut undas
Ad alta mittant sidera;
Altera cur auro tellus fluat, altera ferro,
At illa gemmis splendeat.
Felix, qui rerum causas, Mirandula, nosti,
Et eleganter explicas.
Tu docti pridem male culta vireta Lycæi
Post longa primus sæcula
Efficis, ut prisco revirescant more, quod omnis
Miretur ætas postera,
Teque parem dicat magnis heroibus illis,
Quos ipsa Pallas artibus
Erudiens, claris dat adhuc splendere per orbem,
Ut pulchra cœli lumina.

AD APOLLINEM.

Cynthii cultor nemoris, beatas
Voce qui Nymphas, citharaque mulces,
Phœbe, supremi Jovis et deorum
Blanda voluptas,
Si tibi semper mea mens ab annis
Serviit primis, neque dulce cordi
Est meo quidquam sine te, precanti
Annue dexter.
Ut mihi optatum dat habere agellum
Clara Farnesi pietas, gravique
Liberans cura, jubet otiosam
Ducere vitam;
Sic tuo vati liceat, perenni
Nomen illius celebrare cantu;
Et viri in nostris vireat libellis
Gloria semper,
Myrtus ut luco viret in latenti,
Fonte quam nutrit liquido decora
Nais; et sævas hiemes, et æstus
Arcet iniquos.

DE LAUDIBUS MANTUÆ.

Felix Mantua, civitatum ocelle,
Quam Mars Pallade certat usque et usque
Claram reddere gentibus, probisque
Ornare ingeniis virorum, et armis!
Te frugum facilis, potensque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa calamisque flexuosus
Leni flumine Mincius susurrat,
Et qui te lacus intrat, advenisque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid deorum
Templa, quid memorem vias, et urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax secura loco, quiesque nullis
Turbata exiliis, frequensque rerum
Semper copia, et artium bonarum.
Felix Mantua, centiesque felix,
Tantis Mantua dotibus beata;
Sed felix magis, et magis beata,
Quod his temporibus, rudique sæclo
Magnum Castaliona protulisti!

AD CÆSAREM FLAMINIUM.

Cæsar æterno mihi juncte amoris
Vinculo, immites aditure mecum
Non modo Hyrcanos, Erebi sed atra
Regna profundi,
Ne mihi pulchros Ligurum recessus,
Neve Campani memores venusta
Rura Sebethi, aut placidas amœni
Tiburis arces.
Ipse nil docti patriæ Catulli
Comparo; hic vivam et moriar beatus;
Hac mihi toto nihil est in orbe
Gratius urbe.
Tu ferax vatum generosa tellus,
Hospitum nutrix et amica, vatem
Hospitem sese tibi dedicantem
Candida nutri.
Vos lares dulcis patriæ valete;
Non enim possum miseras videre
Civium pugnas, gladiosque fratrum
Sanguine tinctos.
Vos tamen semper mea mens amabit,
Me licet Parcæ rapiant ad orbem,
Zona quem solis dirimit corusco
Torrida ab igni.

AD AURAM,

DE REGINALDO POLO.

Aura, quæ lucum viridem pererrans
Nos levi blande recreas susurro,
I, citis, quæso, pete Reginaldum
Candida pennis;
Tempera et suavi rapidum calorem
Spiritu, circum volitans, nec æstus
Igneus frangat sine delicati
Corporis artus.
Sic ferum semper Boream sonoro
Æolus clausum teneat sub antro;
Sic tibi nunquam noceat furentis
Impetus Austri.

DE GASPARE CONTARENO.

Descripsit ille maximus quondam Plato
Longis suorum ambagibus voluminum,
Quis civitatis optimus foret status:
Sed hunc ab ipsa sæculorum origine
Nec ulla vidit, nec videbit civitas.
At Contarenus optimam Rempublicam

Parvi libelli disputationibus
Illam probavit esse, plus millesima
Quam cernit ætas Adriatico in mari
Florere pace, litteris, pecunia.

AD STEPHANUM SAULIUM.

Pone metum, Sauli, longas jam pone querelas;
Flaminius valet, ac lætus tibi carmina dictat.
Scilicet ut Romæ corruptas fugimus auras,
Et riguos patriæ montes, saltusque salubres
Venimus, effœtos venit quoque robur in artus.
Diffugit macies, diffugit corpore pallor,
Et somnus vigiles irrepsit blandus ocellos;
Quem neque desiliens crepitanti rivulus unda,
Nec Lethea mihi duxere papavera quondam.
Jam valeat Romana meo cum Principe tellus;
Certum est, in patriis ævum consumere silvis.
Si lætus pomis, et vili pascor oliva,
Et juvat angusto vitam traducere tecto
Ignotum, duplici pellentem frigora panno,
Quid regum turres, ac limina magna potentum
Persequor, et dulcem dimitto stultus agellum?
At tu, quem virtus, generis quem antiqua superbi
Ad summos jam nobilitas tollebat honores,
Vitâsti sapiens urbana negotia; nunc te
Lauricomas inter silvas, citriosque nitentes,
Musarum placidæ traducunt otia vitæ.

Tu gelidam stratus formosi fontis ad undam,
Qua leviter cultis immurmurat aura viretis,
Occultas rerum causas, cælique meatus,
Quid deceat, quæ sint fugienda, sequendave, tractas.
Tum magni eloquium Tulli, numerosque secutus,
Condis perpetuis mansura volumina chartis.
Nec tamen irriguos hortos ornare colendo,
Nec citrium serere, aut buxum tondere comantem
Negligis, aut sedes apibus aptare quietas,
Dulcia divini decerpens gaudia ruris.
Te, juvenis venerande, sequar; quantumque benigni
Di dederint vitæ, contentus paupere tecto
Jam vivam mihi secretis inglorius arvis.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

Farnesi, vatum decus, et spes unica, nostri
Solus principium, et finis tu carminis esto;
Utque optata mihi dexter facis otia, sic te
Mansuro liceat cantu celebrare, meisque
Floreat æternum tua virtus inclyta chartis;
Quod spondent Musæ, et cultus mihi semper Apollo.
Nam qui nec vates, nec dulcia carmina curat,
Ille licet gazas Arabum, Crœsique talenta
Congerat, et prisco sit regum a sanguine oretus,

Attigit infelix ubi metam ignobilis ævi,
Despectum jacet in tenebris sine nomine corpus,
Villicus occulto moriens ut pauper agello.
Quæque pio vati prudens si dona dedisset,
Viveret exequiis invita morte superstes,
Illa meretrici dabit hæres. O male sani,
Discite divitiis uti sapienter. Avaris
Obruit hic aurum terris, cæcoque furore
In mediis opibus vivit rerum omnium egenus;
Alter avaritiam sæva plus morte perosus,
Rem patriam stulte vetitos effundit in usus,
Ingentemque auri scurræ populantur acervum.
At sapiens recte dispensat dona deorum;
Dat partem patriæ, reficit labentia templa,
Et Musas fovet, et sacros ante omnia vates.
Ergo illum dulci tollunt super æthera cantu,
Mortalemque vetant invisæ occumbere morti.
Sic Mæcenatis, quo Tuscia gaudet alumno,
Usque feret nomen diversas fama per oras,
Dum rapidus circum terras volvetur Olympus.
Ille quidem magnos reges æquaverat auro,
Cumque ipso curas partiri et gaudia suerat
Augustus Cæsar, rerum cui prima potestas.
Sed nihil Augustus, nil pondera divitis auri
Profuerunt, vitæ legeret cum fila suprema
Parcarum manus; obscura caligine leti
Consitus, inferna semper latuisset in umbra,
Ni miserata virum divini musa Maronis,
Ipsius ad clarum famam evexisset Olympum.
Scilicet ingeniis varia est vis insita; rerum

Invigilant alii causas aperire latentes,
Et convexa poli penetrant, manesque sub imos;
Hic jura imperiis describit; at ille rotundo
Attentum ore tenet populum magnumque senatum.
At si quem placidis nascentem vidit ocellis
Castalii regina chori, et formosus Apollo,
Ille urbis strepitum fugit; et viridantia silvis
Rura colens, gaudet longos extendere in annos
Magnanimûm heroum divino carmine laudes.
Ergo age, virtutem, juvenum flos candide, solam
Mirare, et doctos tua semper cura poetas
Ornet alatque; suum ut vivat per sæcula nomen.

AD EUNDEM.

Farnesi, pater omnium leporum,
Hos tibi lepidissimos poetas
Dono, tempora quos tulere nostra,
Fortunata nimis, nimis beata
Nostra tempora, quæ suos Catullos,
Tibullos, et Horatios, suosque
Marones genuere. Quis putasset,
Post tot sæcula tam tenebricosa,
Et tot Ausoniæ graves ruinas,
Tanta lumina tempore uno in una
Tam brevi regione Transpadana
Oriri potuisse? quæ vel ipsa
Sola barbarie queant fugata

Suum reddere litteris Latinis
Splendorem, veteremque dignitatem.
Salvete, o decus, o perennis ævi
Nostri gloria, candidi poetæ,
Quos novem in tenero suo sorores
Nutrivere sinu, suoque digna
Choro Castalio loqui dedere.
Vos et carmina vestra sempiterno
Urbes Italiæ colent honore.
Vos et Gallus, Iberque bellicosus,
Et Germania docta, Sarmatæque
Mirabuntur, et ultimi Britanni,
Erit dum Latiis honor Camœnis.
Quin ultra Oceanum, alteroque in orbe
Vos discent populi, quibus redit lux
Aurora exoriente, cum nigrescit
Aer jam tenebris sub axe nostro;
Nam (mirabile dictu!) in iis quoque orbis
Nunc linguæ studium viget Latinæ.
At tu, floscule Romuli nepotum,
Quem Phœbus pater, et Minerva doctis
Certatim artibus expolire gaudent,
Alexander, habe tibi hunc libellum
Venustum, lepidum; tuasque laudes,
Istis quæ celebrantur a poetis,
Æternas fore scito; nam manebit
Æterno aureolus libellus ævo.

AD HIERONYMUM TURRIANUM

DE MORTE VICTORIÆ COLUMNÆ.

Cur desiderio modum, et dolori
Me vis ponere, Turriane? acerbo
Cui Victoria fato ademta, quæ me
Non minus quam oculos suos amabat;
Qua nihil veniens ab ultimo Indo
Clarius, meliusve Sol videbat;
Cui mens candida, candidique mores,
Virtus vivida, comitasque sancta,
Cœleste ingenium, eruditioque
Rara, nectare dulciora verba,
Summa nobilitas, decora vultus
Majestas, opulenta, sed bonorum
Et res et domus usque aperta ad usus.
Illa carminibus suis poetas,
Quotquot sæcula multa protulerunt,
Longe vicerat; illa vincit omnes,
Sive flebilibus modis maritum
Exstinctum decorans sepulcro ab imo
Summa ducit in astra, sive Regi
Cœlitum, Unigenæve Regis hymnos
Filio canit: illa vel canendo
Ventos sistere, fluminum morari
Impetus, poteratque leniores

Tigres reddere mitibus columbis.
At tu, surdior Hadriæ procellis,
Immitissima Mors, manum rapacem
Illi es injicere ausa; Mors acerba,
Tu solem Italiæ suum abstulisti.
Sed nil proficis; en meæ Columnæ
Fama sidere clarior refulget;
En Victoria cœlitum beata
Vita nunc potitur, vagique solis
Sub se lumina cernit, ipsa sole
Multo splendidiorque pulchriorque,
Ergo flebilibus modum querelis
Jam jam, candide Turriane, pono,
Ne plorem mihi inique amicus illam,
Quæ læto celebranda versu, et ipsi
Addenda est numero beata divûm.

AD GALEATIUM FLORIMONTIUM

PHILALETHEM,

Huc ades, Galatee; quid moraris?
Est brevis via, sæpiusque dicis,
Cras ad vos veniam, boni sodales,
Nec venis tamen: an putas licere
Amicis dare verba? nos pudendum,
Et contra officium, tuoque bello
Id cognomine prorsus arbitramur

Indignum: hoc nisi vis inepte abnuti,
Huc ades, Galatee; quid moraris?
  Remiges Ithaci vagantis olim
Lotos detinuit Libyssa in ora,
Ut mulctralibus haeret usque et usque
Musca lactis amore; te, beate
Senex, quæ retinet domi voluptas;
Ecquid delicias tuæ Sabinæ
Præfers deliciis meæ Casertæ?
Deliras, Galatee; suam Sabina
Longe pulchrior est amœnioreque.
Campanæ regionis hic ocellus;
Quem Jocis comitata, Gratiisque
Venus, posthabita Gaido, Paphoque,
Semper incolit, et suos amores,
Suas delicias fatetur; ergo
Huc ades, Galatee; quid moraris?
  Hic sol splendidius nitet, Favoni
Spirat mollius aura, suaviorem
Fert rosam et viridem benigna tellus;
Hic est dulcior uva, dulciores
Ficus, et pepones; oliva baccis
Non solum patriæ tuæ, sed ipsum
Venafrum superare gaudet; ergo
Huc ades, Galatee; quid moraris?
  Ecce caseolos tibi recentes,
Atque hœdos geminos Hyella donat,
Formosissima caprimulga, Pani
Non impar caprimulga, sive cantat,
Seu levi calamo terit labellum.

Huc ades, Galatee; quid moraris?
En hospes meus, optimus Caserta,
Quo Campania terra gloriatur,
Jam desiderium tui morantis
Nequit ferre; puella sic amantem
Votis, ominibusque, lacrimisque
Absentem vocat; ah! tuum Casertam
Ne, quæso, cruciare perge; sed jam
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Is quidem impatiens moræ molestæ
Ad te jam properâsset, ægra membra
Ni vis debilitaret ipsa morbi:
Et tu tam diu abesse sustinebis?
Qui sola potes allocutione
Febrim pellere candido sodali.
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Non Phœbus, mihi crede, filiusve
Phœbi cantibus hunc levârit, herbis
Aut salubribus, æque ut ipse vultu
Jucundo, et lepida dicacitate.
Ergo si tibi cura cari amici est,
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Te vocat domus ipsa, quam solebas
Jocis, et salibus, facetiisque
Tuis exhilarare; te loquaces
Lymphæ, te vocat hortulus venustus,
Tuæ tam memor irrigationis,
Quam lactis memor est tenellus infans,
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Non pandunt nitidæ rosæ per agrum

Formosos calathos! hiare tardant
Flores luteolique, cærulique, et
Albi, et purpurei; suos honores
Agellus tibi scilicet reservat.
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Si venis cito, carminum libellum
Ostendam tibi, quem legens putabis
Te vesci ambrosia, et tibi repleri
Ora nectare; sin mea procellæ
Ferunt irrita verba, mox iambos
Exspecta horribiles, amariores
Felle, absinthio, et omnibus venenis,
Quotquot Thessala nutrit ora, quotquot
Ponti terra creat; sed eja age, eja
Huc ades, Galatee; quid moraris?

AD PETRUM CARNESECUM.

O Dulce hospitium, o lares beati,
O mores faciles, o Atticorum
Conditæ sale collocutiones,
Quam vos ægro animo, et laborioso,
Quantis cum lacrimis miser relinquo!
Cur me sæva necessitas abire,
Cur vultum, atque oculos, jocosque suaves
Cogit linquere tam venusti amici?
Ah! reges valeant, opesque regum,
Et quisquis potuit domos potentum
Anteponere candidi sodalis

Blandis alloquiis, facetiisque.
Sed quanquam procul a tuis ocellis,
Jucundissime Carnesece, abibo
Regis imperium mei secutus,
Non loci tamen ulla, temporisve,
Intervalla tuos mihi lepores,
Non mors ipsa adimet; manebo tecum,
Tecum semper ero, tibique semper
Magnam partem animæ meæ relinquam,
Mellite, optime, mi venuste amice.

AD FRANCISCUM TURRIANUM.

Per tui Ciceronis et Terenti
Scripta te rogo, Turriane docte,
Ut postridie adhuc rubente mane,
Cum fœcundat humum decorus almo
Rore Lucifer, exiens Giberti
Domo ad me venias equo citato,
Ne tibi igneus antevertat æstus.
Hic fontem prope vitreum sub umbra
Formosi nemoris tibi parabo
Prandium Jove dignum; habebis et lac
Dulce, et caseolum recentem, et ova,
Et suaves pepones, novaque cera
Magis lutea pruna; delicatos
Addam pisciculos, nitens salubri
Quos alit mihi rivulus sub unda.

Ad mensam vetulus canet colonus
Jocosissima carmina, et coloni
Quinque filiolæ simul choreas
Plaudent virgineo pede; inde ocellos
Ut primum sopor incubans gravabit,
Jucundissime amice, te sub antrum
Ducam, quod croceis tegunt corymbis
Serpentes hederæ, imminensque laurus
Suaviter foliis susurrat: at tu
Ne febrim metuas, gravedinemve;
Est enim locus innocens: ubi ergo
Hic fatis requieveris, legentur
Lusus Virgilii, et Syracusani
Vatis, quo nihil est magis venustum,
Nihil dulcius, ut mihi videtur.
Cum se fregerit æstus, in virenti
Convalle spatiabimur; sequetur
Brevis cœna; redibis inde ad urbem.

AD CHRISTOPHORUM LONGOLIUM.

Dum tu Naugerio, optimoque Bembo,
Longoli, frueris, tuique Tulli
Laudes æquiparare tendis, ipse,
Ubi molibus arduis ad astra
Se tollit Genua, hortulis amœnis
Abditus Stephani mei tuique,
Nunc Aristotelis lego libellos,

Cœlestem sapientiam, virique
Mirans ingenium; modo ad Catulli
Dulces versiculos relapsus, inter
Argutas volucres cano sub umbra
Silvæ lauricomæ jacens; modo ipse
Ludo carmina, qualia in Lycei
Nigris saltibus Arcades canebant,
Antequam fera gens profecta ab oris
Incultæ Scythiæ procul Menalcas,
Tityrosque fugaret; ipse vero
Saulius, tua dum laborat ire
Per vestigia, Tullium urget, uno
In illo stupet, et nimis beatum,
Longoli, putat esse te, benignus
Cui dat Jupiter esse tam propinquum
Scriptori egregio. Ast ubi remisit
Æstus, nec querulis sonant cicadis
Arbusta amplius, igneusque jam sol
Abit, nos pelagi propinqui ad undam
Imus; hic scopulo sedens uterque
Pisces captat arundine, et videre
Cymbas purpureo mari volantes
Juvat. Flaminii tui, tuique
Saulî, candide amice, vita qualis
Sit, vides: ea si placet, venito;
Et vitæ cumulum addito beatæ
Tui Flaminii, tuique Saulî.

AD DOMINICUM SAULIUM.

Quod virtus tua maxima invidorum
Telis objicitur, dolere, Sauli,
Nunquam desino pro meo vetusto
In te amore, tuaque perpolita
Doctrina, et bonitate singulari;
Idem gratulor intuens tumultu
In tanto placidam tuam quietem,
Dum mente intrepida impetum furentis
Fortunæ toleras; sed ipsa tandem
Innocentia vincet, et repulsis
Cernes criminibus tuam micare
Famam, ut nubibus hinc et hinc fugatis
Sol ardet radians nitente luce.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM.

Si recte tibi, Ludovice care, est,
Gratias ago dîs: at esse recte
Quî potest? brevis hora si quieti
Vix unquam datur, et bonis libellis,
Quibus nil tibi carius, salutem
Multam dicere cogeris, nec agri
Licet delicias tui videre.
Sed dic, optime amice, quis laborum
Tandem finis erit? vides capillum
Jam canescere, jam senecta frontem

Rugis incipit exarare, nec tu
Vivere incipis? an manum rapacem
Dum Mors injiciat tibi repente
Exspectas? miser, ah! miser, fugaci
Vitæ consule, et urbe derelicta,
In tuo requiesce tandem agello.

AD AGELLUM SUUM.

Venuste agelle, tuque pulchra villula,
Mei parentis optimi
Olim voluptas, et quies gratissima
Fuistis; at simul senex
Terras reliquit, et beatas cœlitum
Petivit oras, incola
Vos alter occupavit, atque ferreus
Amabili vestro sinu
Me lacrimantem ejecit, et caris procul
Abire jussit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farnesii benignitas.
Jam vos revisam, jam juvabit arbores
Manu paterna consitas
Videre, jam libebit in cubiculo
Molles inire somnulos,
Ubi senex solebat artus languidos
Molli fovere lectulo.
Gaudete, fontes, rivulique limpidi!
Heri vetusti filius

Jam jam propinquat, vosque dulci fistula
Mulcebit, illa fistula,
Quam vestro Iolæ donat Alcon maximus,
Ut inclyti Farnesii
Laudes canentem Naïdum pulcher chorus
Miretur, et Pan capripes.

AD HONORATUM FASCITELLUM.

Fascitelle, quid otio in beato
Dictavit tibi roscidis sub antris
Musa candida? nil soles profecto
Unquam scribere laurea corona
Non dignum. Ipse miser tumultuosa
Urbe detineor; tibi benignus
Dedit Jupiter in remoto agello
Latentem placida frui quiete,
Inter Socraticos libros, et inter
Nymphas et Satyros, nihil profani
Curantem populi leves honores.
Verum, sive aliquid Marone dignum
Pangis, sive modis Horatianis
Juvat ludere, quidquid est, sodali
Tuo mitte; alii sibi, atque Musis
Scribant; tu cave, carmina occultas, quæ
Digna sunt medio legi theatro.

AD PETRUM VIPERAM.

Fortunate senex, senex beate,
Quo te carmine prædicare possim?
Est domus tibi parva, sed supellex
Munda, lectulus elegans, tabellæ,
Quæ suis oculos vel eruditos
Figuris teneant, cubiculumque
Ornatum satis, et satis librorum
Magna copia, qui bene, ac beate
Docent vivere, mensa pura, victus
Simplicissimus; est tibi fidelis
Minister, vetulus sodalis idem,
Quicum fallere tempus, et jocari
Soles suaviter; est enim facetus
Senex, blandus, amabilis, disertus.
Hæc ad commoda tam beata magnum
Adjungit cumulum hortulus venustus,
Quem vir Corycius senex agello
Suo præferat, omniumque dicat
Pater Nausicaæ hortulorum ocellum.
Adde, quod virides tibi senectus,
Quod mens candida, candidique mores;
Quod sestertia quinque ab urbe missa
Sunt satis tibi singulos per annos.
Abest ambitio, timorque læti,
Et quidquid miseram facit senectam;

Nam Deo pietas amica, vitæ
Et morti bona cuncta pollicetur.
Fortunate senex, senex beate,
Quo te carmine prædicare possim?

AD HIERONYMUM PONTANUM.

Quod, Hieronyme, patriis ab oris
Cornelîque Foro procul remotus,
Nunc urbem maris incolo Hadriani
Reginam, modo Romuli superbas
Arces præfero, vel venusta rura
Casertæ, nihil est profecto, cur me
Amantem patriæ parum arbitrere.
Ante urbes alias, et ante me ipsum
Illam semper amavi, et usque amabo,
Dum sensum mihi cœlites amandi
Concedent; itaque ipsa magnitudo
Amoris facit, ut carere malim
Optata genitrice, quam videre
Illam armis odiisque sævientum
Natorum laniatam; acerba fata
Cives præcipites agunt, nec ulla
Tangit cura parentis efferatas
Mentes; cur igitur colam paternos
Lares? num ut videam meis ocellis
Vias sanguine civium meorum
Manantes, et ubique tecta sævo

Igne ardentia ? quin meas ad aures
Nefanda hæc scelera impiæque cædes
Quando perveniunt, abire ad Indos,
Et ultra Oceanum opto, quo nec ipsum
Nomen dulce mihi, simulque amarum
Cornelî penetret Fori, nec ulla
Ruentis patriæ venire possit
Fama ; quæ mihi sic acerba, sic est
Tetra, atque horribilis, deos ut hercle
Noctes atque dies rogare pergam,
Vel servent patriam meam, vel ipsi
Dent mihi subita perire morte.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM.

Ne vivam, bone Ludovice, ni me
Et mei miseret tuique ; nam quis
Deus, vel mala sors utrúmque semper
Captivum tenet urbis in tumultu ?
Si nos ambitio, pecuniæve
Augendæ premeret sitis, tacerem ;
Sed cum divitiis honoribusque
Magnis otia præferamus, ah cur
Romam præferimus meo Lavino,
Albinoque tuo ? O venusti agelli,
Musarum domus, et quies laborum,
Tam longe mihi vita num manebit,
Ut meos satiare possim ocellos

Vestro dulci, et amabili decore?
O tandem placida, et beata rura,
Nos carum accipite in sinum; nec ulla
Vis avellere possit; hic et hendo,
Et pomis, oleaque, pensilique
Uva nos alite; et simul suprema
Tempus venerit, ossa sub virenti
Lauru condite, qua fugit per herbas
Suavem rivulus excitans susurrum.

AD HERCULEM SEVEROLUM.

Herculi, mea musa, fer sodali
Hæc bono bona dicta, quod Favoni
Jam tepor rediit, tulitque secum
Dulcis tempora veris; urbe Roma
Tuus Flaminius relicta agellos
Suos visere cogitat, paterna
Quos domus tua cernit: ipse vero
Quid tandem facies? tumultu in isto
Nimirum remanebis, et clientum
Magnis agminibus premere semper.
O tandem sapias tibi, tuæque
Vitæ consule; non vides, ut ætas
Labitur fluvii rapacis instar,
Quem nives alunt? quid laboras
Ergo divitias parare inanes?
Cum tantum patrimonii relictum

A tuo tibi sit parente, quantum
Est satis; sine vulgus imperitum
Falsa imagine ludi: at ipse, mentem
Cui Deus dedit expolire pulchris
Artibus, patriam revise caram,
Fratremque unanimem, bonosque amicos;
Et dulci fruere otio, libellis
Parvis Virgiliique Tulliique
Mutans magna volumina illa legum,
Quæ lassare valent feros gigantes,
Et vires adamante firmiores.

AD ALOYSIUM PRIULUM.

An cur me lacrimis tuis, Priule
Care, conficis? hoc tuo dolore
Mors mihi fit amara, quam benigno
Deus numine donat esse dulcem.
Una viximus arcto amore juncti,
Qualem sol radians ab ultimo Indo
Vix cernebat ad ultimum Britannum;
Nos unum studium, una nos voluntas
Fecit unanimes; nihil placebat
Uni, quin idem amaret alter; una
Nos domus tenuit, alebat una
Mensa; lætitiæ, dolor, secunda,
Adversa unius alterum movebant;

Ut nunquam minus hic doleret illo,
Gauderetve: sed hæc prius fuere.
Nunc cœli vocor ad domos beatas,
Ubi me vario labore functum
Manent gaudia sempiterna; quare,
Si cordi tuus est tibi sodalis,
Pone flebilibus modum querelis,
Et plausu æthereas euntem ad arces
Læto prosequere, et piam labora
Vitam vivere, mox simul futurus.

AD PHILIPPUM BONUM

PONTIFICEM FAMAGUSTÆ.

O Qui nomine, mente, moribusque
Es bonus, mihi quam venis cupitus!
Ut te conspicio libenter! ut me
Morbo letifero diu gravatum
Aspectu recreas tuo, tuisque
Gratis alloquiis! tenella virgo
Sic florem aridulum imminente morte
Liberat, gelidum irrigans liquorem;
Sic gaudet patula viator umbra
Aquosi nemoris, siticulosa
Terra iter faciens Canis sub ortum.
O quid carius est beatiusve

Dulci amicitia? mihi periclo
Tanto evadere si dabunt benigni
Cœlites, erit ipsa vita cara,
Ut frui liceat bonis amicis.

AD SODALES SUOS.

Gaudetis, teneri mei sodales,
Me febri, et lateris dolore summo
Emersisse; Dei ipse lætor
In primis bonitate singulari,
Qui mentem dederit mihi paratam
Corpus linquere, ne suo rebellis
Pugnarem imperio. Pater supreme,
Tua incepta secunda, et usque eandem
Da mentem mihi; nil velim, quod ipse
Nolis; nil renuam, quod ipse mandes.
Hoc unum, unanimes mei sodales,
Hoc unum ex misero facit beatum.

AD STEPHANUM SAULIUM.

Ne tu beatum dixeris, optime
Sauli, superbo limine civium
  Qui prodit hinc et hinc caterva
    Nobilium comitante cinctus;
Non si feracis occupet Africæ
Quidquid prædaltis conditur horreis,
  Gemmasque lucentes, et auri
    Possideat rutilos acervos.
Nec ille felix, qui valet omnium
Causas latentes cernere, sidera
  Notare doctus, et profundas
    Ingenio penetrare terras.
Sed tu beatum jure vocaveris,
Qui mente pura rite Deum colit,
  Ejusque jussa ducit amplis
    Divitiis pretiosiora.
Non ille vulgi gaudet honoribus,
Sed carus ipsi Numinis est honos;
  Pro quo tuendo non recusat
    Dedecorum genus omne ferre,
Quin et relictis cœtibus urbium
Mens ejus altum transvolat æthera,
  Deique summi, cœlitumque
    Colloquio fruitur beato.

Cœlestis ergo jam sapientiæ
Plenus, periclis altior omnibus,
  Quiescit in Deo, furentum
    Despiciens hominum tumultus.
Sic præliantes æquore turgido
Ventos reducto montis in angulo
  Miratur, et gaudet procella
    Terribili procul esse pastor.

FRANCISCI MARII MOLSÆ

POEMATA.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

Curarum ingenti Paulus dum mole repulsa
Se solis fessum colligit usque locis,
Et modo in Herculei delatus Tiburis arces,
Damnata æstivo deserit arva cane;
Aut intempestæ surgunt quo monte Graviscæ,
Sedisse argutas sustinet inter aves;
Et validus metas ultra, sortemque senectæ,
Communi nescit conditione premi;
Tu gressum comitatus avi, pulcherrime, tecum
Vota virûm defers, publicà vota virûm;
Suspensamque diu variis terroribus urbem,
Absentem dum te cogitat, unus habes.
Ipsa etiam latos Pallas demigrat in agros,
Et tecum, posita Gorgone, rura colit;
Quemque graves juvenem mox est ductura per artes,
Musarum sanctos gaudet inire choros;
Atque sub Aonia recubantem detinet umbra,
Qua tibi trita olim, culte Tibulle, via est.

Interdum magni lætum in secreta Maronis
Deducit, lateri subsequiturque comes;
Suggerit aut solers puri tibi carmina vatis,
Olim Phœbea carmina fusa lyra.
Scilicet his tenero sensim præludit alumno,
Quem properat castris præposuisse suis.
Illic principiis disces quibus omnia constent,
Ortaque queis coeant, dissiliantque modis.
Nocturnisque simul naturam intexere chartis,
Res erit ingenio non operosa tuo.
Sed neque Socraticis renues de fontibus haustus,
Quo tua fertilibus ora rigentur aquis.
Hinc felix toto demum spatiabere cœlo,
Unde vices rerum tempus in omne fluunt.
Tunc quæ stelliferos ingens vis torqueat orbes,
Noscere, perque altas ætheris ire vias,
Extremum fuerit munus, terrisque relictis
Astra super fulgens exeruisse caput.
Dum licet, absentem doctæ celebrate sorores,
Urbe illi est Pallas sola futura comes.
Has avus ad metas primis se exercuit annis,
Et tibi, quos superes, leniit ante gradus;
Qui pendentem a se merito nunc aspicit orbem,
Et divisa alto cum Jove sceptra tenet.
Quam bene Tarpeium fulsistis, numina, saxum,
Illa, qua terris præfuit ipse, die.
Nutabat patrum sententia, nec satis ullus,
Imperio dignus, qui videretur, erat.
Acri summatum studio sibi quisque petebat,
Et regni cunctos sollicitabat amor;

Obnixique animo inter se non cedere, septis
Vix bene se admôrant, intulerantque pedem;
Cum Pauli species cunctis augustior hæsit,
Quam possent oculi, cordaque ferre patrum:
Quæque illi custos oculis affârat honores,
Composuit motus dia Minerva truces.
Aurea sic illi medio stetit agmine cella,
Atque dedit victas sacra caterva manus.
Sic sæva immites miscent cum prælia venti,
Seu Zephyrum, Boreas, seu premis, Eure, Notum,
Undarum si forte parens caput extulit antro,
Iræ subsiduut, et freta dura silent;
Ipse levi circumvolitans vasta æquora curru,
Concita subjectis marmora mulcet aquis.
Nil unquam studiis æque est concordibus actum,
Ut cunctos una mente fuisse putes,
Et merito; tantos quis enim componere fluctus
Bellorum victor, Marte furente, queat?
Quis dextram everso Clemens nunc tenderet orbi,
Aut tantis posset invigilare malis?
At tu, magne puer, terris suscepte regendis,
Olim cum cœli templa tenebit avus,
Ex illo virtutem hauri verumque laborem,
Teque illi similem, qua potes arte, velis;
Ut tenero agnoscens se in vultu, tempora cernat
Ipsa iterum per te lapsa redisse sibi.

AD HERCULEM DUCEM FERRARIÆ IV.

Otia Musarum sacris et Apolline digna
Quærebam curis liber, et urbe procul.
Et nunc, qua gelidis immurmurat aura viretis,
Errabam tacito per loca sola pede;
Nunc nemorum exceptus dorso, et viridantibus umbris
Pergebam Aonios lassus inire choros.
Hinc magnum Alcidem victuris condere chartis
Mens erat, et summi facta referre ducis;
Scilicet ut puero Phœbi chorus adstitit omnis,
Ad cunas primos dum ciet ore modos.
Fulserunt nitidis circum plectra aurea gemmis,
Et dulces cantus Calliopea dedit.
Divinum ambrosiæ Charites sparsere liquorem,
Quo languor teneris artubus omnis abit.
Ecce tibi superos inter lis orta repente est,
Munera quis puero nobiliora ferat.
Ipsa oculis Cytherea novum mellita decorem
Afflat, et insolitum spargit in ora decus.
Mars pater immensum robur venientibus annis
Spondet, et invictas ad fera bella manus;
Regna deûm genitor, rapido quæ intersecat amne
Hinc Padus, et tumidis alleit auctus aquis;
Hinc sale Tyrrheno clauduntur plurima, at illinc
Hadriacis late fluctibus icta sonant.
In medio Eridani surgit Ferraria ad undas,
Aureaque invictum tollit ad astra caput.

Qualis septa ardet bacca Gangetide gemma,
Atque puellares nectit honore comas;
Talis culta inter vicinas enitet urbes
Clara hominum ingeniis, semideûmque domus,
Quam vis nulla queat, non ipse excindere ferro
Jupiter, adversum si ferat arma deus.
Quin et avis atavisque potens, et sanguine Ibero
Mista deûm soboles, id mihi carmen erat;
Externique iterum thalami, queis regia conjux
Gaudet, et Herculeum suscitat alma genus.
At mihi livor edax Musarum sacra ferenti
Obstitit, et cœptum linquere jussit opus;
Ignotas subito Nymphæ petiere latebras,
Et flentem Phœbus deserit ipse pater;
Nil nemora, aut saltus miserum juvere; latentem
Invenit, effuso cuncta labore cadunt.
Quid referam obscœnos vultus, quid sanguine fœdo
Suffectos visus, quos meminisse piget?
Canities inculta genas, color obsidet ora
Buxeus, aurata pallidior statua.
Hoc ego nocte satas monstrum exhorrere sorores
Crediderim, et si quid tristius orcus alit.
Tu mihi seu fessis Italûm succurrere rebus,
Seu perstas regnis consuluisse tuis;
Ausoniæ columen, quo nunc Ferraria gaudet
Principe, et irati vix timet arma Jovis;
Huic monstro occurras pernix, et vindice dextra
Fac Stygios repetat, te feriente, lacus.
Herculea lætere diu sic, optime, fronde,
Æternum terror hostibus unde cadat;

Sicque tibi placido delapsus in æquora cursu
Eridanus famulis littora pulset aquis.
Abstineat nostros olim si invadere fines
Pestis, et hæc telis concidat icta tuis,
Non mihi te potior fuerit Jove natus ab ipso
Alcides, cœli fulserit astra licet;
Straverit aut dirum Nemees sub rupe leonem,
Traxerit et Stygium cæca per antra canem:
Sævius his quando monstrum est, quo jactor; opemque
Numinis imploro terque quaterque tui.

AD ALOYSIUM PRIULUM VENETUM.

Ille ego perpetuus Tarpeii culminis hospes,
Oblitus patriæ tempus in omne meæ,
Quem neque bellorum strepitus, nec barbarus ensis,
Sæva nec in medio castra locata foro,
Dira nec illuvies morbi commota malignis
Flatibus, aut sævi terruit ira Jovis,
Romuleis tandem procul hinc a collibus ævum
Degere, (quis credat?) docte Priule, paro.
Scilicet effœtæ vires, et serior ætas
Me miris hebetem reddidit usque modis.
Nam neque formosas habeat quod Roma puellas,
Ipsos quæ possint sollicitare deos;
Nec crebris hominum moveor, quod cœtibus unus
Excipiar, comitum concelebrerque choris;

Ipsa etiam signis sordent nunc mollibus æra,
Altaque semotis marmora vecta jugis;
Templaque diversis operum variata figuris,
Quæque suum retinent nunc quoque saxa decus,
Æternum auspicibus quondam dis condita in ævum,
Mœnia septenis facta superba jugis.
Parcite; sat vobis vitæ, dum fata sinebant,
Tempora et hæc studiis mollibus apta, datum;
Sat, fortuna, tuos olim spectavimus æstus,
Arbitrio versas dum fera cuncta tuo;
Hoc quodcumque ævi posthac mihi fata reservant,
Vivendum omnino est commodiore solo;
Illic, nulla animi sanos ubi gloria sensus
Avertat, falsis exagitetque bonis;
Nec curam exhibeant fasces, aut purpura regum,
Sceptraque ab indignis sæpe ferenda viris;
Æra ubi nec quisquam, aut populi tabularia nôrit,
Aut inhiet sæva commoda rapta manu,
Musarum at vigeant passim commercia sancta,
Quarum perculsus numine sacra fero;
Priscaque simplicitas, et nescia fallere vita,
Saturno qualis regna tenente fuit;
Sollicitos animos habuit cum nulla cupido,
Nec dederant agris jugera certa modum;
Molliaque indomiti gesserunt colla juvenci,
Præda nec immiti tunc fuit agna lupo;
Et juvenum sine fraude cohors, sine fraude puellæ,
Jungebant molles et sine fraude choros:
Nulla coercebat mœchos censura, metusque,
Ignotumque illis nomen adulter erat.

Ergo nec infectos spectârunt sanguine rives,
Arva nec innumeris sparsa rubere notis;
Nec galeas curvo pulsârunt vomere inanes,
Externis vites nec posuere viris;
Illorum extimuit dominatus nemo superbos,
Barbarus Ausoniam queis male victor habet.
Euganeis talem te vitam ducere terris
Non obscura mihi fama, Priule, refert;
Et nunc Medoaci properantes carmine lymphas
Sistere, qua viridi procubat umbra solo;
Nunc et Socraticis puros e fontibus haustus
Sumentem humano grandius ore loqui;
Qui Latio ignotas dudum sic detegis artes,
Præbeat ut victas Græcia victa manus.
Felix, cui superum genitor mortalia quæque
Esse dedit studiis inferiora tuis;
Cui pedibus subjectus amor sceleratus habendi,
Et Veneris quidquid numina magna queunt.
His tecum decuit potius me vivere in oris,
Quam spectâsse urbis funera Romuleæ,
Quam sævas acies, truculenti et Teutonis iras,
Ustaque ab Hispano milite templa deûm.
Vidi ego Vestales fœdis contactibus actas
Nequicquam sparsis exululare comis;
Collaque demissum ferro, gravibusque catenis,
Romanum sacra procubuisse via;
Quaque Jugurtha ferox ornaverat ante triumphos,
Saucia Bravato vertere terga duci.
Probrosis, Tiberine, pater te conde ruinis,
Et mœstum in terris altius abde caput.

Non tamen admissum facinus pia numina inultum
Permisere diu, quod meminisse piget;
Dira lues cœli vitio namque orta repente
Admissum in nostros expiat omne scelus;
Et quos nullus adhuc ferro consumserat hostis,
Abstulit adversi sævior ira Dei:
Nimirum antiquæ revocans ad præmia laudis,
Æneadum his gentem perculit illa malis.
Tot tibi servatus rapidis jam sæpe procellis,
Euganeis tecum sedibus esse volo,
Quas nec sæva olim violârunt Cæsaris arma,
Attritæ Venetûm cùm premerentur opes;
Nec subiere unquam diræ contagia pestis
Innocui tantum profuit ora situs.
Exceptus laribus parvis, et paupere cultu,
Illic compositis otia rebus agam.
Mî tantum, longo deducens stamina tractu,
Observet custos limina semper anus;
Atque eadem ad lunam quæsitis montibus herbis
Componat cantus, ominaque atra fuget.
Quod si sub notis iterum Venus aurea signis
Errones posthac nos habuisse velit;
Sedula fabellis teneros soletur amores,
Et desueta novis ignibus ossa levet.

AD CAROLUM CÆSAREM.

Roma tibi æternos quamvis meditetur honores,
Seque tuis meritis perneget esse parem,
Lætaque saxorum moles nunc excitet altas,
Nunc jubeat laudes ære referre tuas;
Cuncta olim collapsa cadent labentibus annis,
Ignibus assiduis aut liquefacta ruent.
Parva loquor, tectis structas immanibus urbes
Tandem post multas obruet una dies.
Procumbent regum sublimi vertice turres,
Saxa etiam fato stantque caduntque suo.
Pyramidum sic alta stupet miraeula Memphis
Nil nisi nunc viridi busta jacere solo.
Sic quondam celsæ steterant Carthaginis arces,
Classe capi melius quæ potuere tua.
At ne longinquo res hæc mihi teste probetur,
Roma tibi exemplo nunc tua, Cæsar, erit;
Nam quæ tu saxo spectas monumenta vetusto
Obducta incultis delituisse rubis,
Hæc eadem magnis divûm celebrata triumphis
Vel summo fuerant tum Jove digna coli.
Admotam cœlo primum hanc, age, suspice molem,
Amphitheatralem hanc iniere jeci.
His accepta olim cuneis Romana juventus,
Laudibus Augustæ vexit ad astra suos.
O ubi totque hominum plausus, tot gaudia, Cæsar?
Me miserum! Stygiis cuncta premuntur aquis.

En! geminas huc flecte acies, cerne inclyta, Thermas,
Munera, Cæsaribus congrua dona tuis;
Victori hæc illi populo posuere, tepenti
Quo fessus valida membra foveret aqua.
Tum Circi ingentes poteris spectare ruinas,
Edita sunt isto munera prima loco;
Consessu hic caveæ, magnis Circensibus actis,
Ignotum subiit rapta Sabina torum.
Quid tibi nunc lautas studeam memorare carinas,
Quidve Palatinæ tecta superba domus?
Quid cumulata novis Capitolis celsa trophæis,
Te duce queis iterum Sidonis ora patet?
Quid quæ templa Jovi divis Agrippa secundis
Struxerit, æratas commemoremque trabes?
Quid fora, quid pontes, quid ductas ære columnas,
Plenaque longinquis flumina vecta jugis?
Ipse vides tantis quid nunc e molibus extet,
Utque sit in cineres urbs fere versa suos.
At non hæc nato dederas promissa gementi,
Errantes veheret cum, Cytherea, lares;
Sæpe illum profuga jactatum classe per æquor,
His ultro hortata es nocte silente sonis:
Sume animos; tibi fata tuæ fumantia Trojæ
Mœnia restituent nobiliore solo;
Teque polo indigetem sacri dabit unda Numici,
Æternum patrios quo tueare deos.
Incensas frustra, Danai, subvertitis arces,
Vestra olim hic gelidus obruet arma cinis.
Debetur Latio nostro de sanguine Iulus,
Ipsum vix timeat quo duce Roma Jovem.

Parce Venus, tua dicta ferunt temeraria venti,
Vixque sui reliquum Roma cadaver habet.
Scilicet has fati leges, hæc fœdera quondam
Inscripsit rerum duro adamante parens.
Cuncta situ et densis pereunt obducta tenebris,
Mors subit, et populis improba bella ciet.
Sola ævi transgressa vias, transgressa sepulcri,
Verberat astriferum fama superba polum.
Aonias igitur, Cæsar, venerare sorores,
Æternum ut celebri carmine vectus eas;
Nam quem Melpomene placido spectaverit ore,
Vivet, et hic omni funere major erit.
Magna quidem, extremo, fateor, dum fulminat orbe,
Ense potens nuper, hæc tua dextra dedit;
Mansuris ni forte tamen celebrabere chartis,
Martis et Aonio cinxeris arma choro,
Nil tibi, quod populos late modereris et urbes,
Proderit, aut Libyco sole perusta domes.

PATERNAS SEDES LAUDAT.

Qui patitur vitam externis traducere terris,
Et patrii fines descruisse soli,
Congerat ut grandes cumulos sibi divitis auri,
Findat et innumero pinguia culta bove,
Insignesve ferat titulos, et nomina patrum
Extollat, quæ post fama loquatur anus;
Illi sæva tenent silices præcordia duri,
Humanumque ferus nil nisi nomen habet.
Scilicet Oceano, et gelida Deus abscidit Alpe,
Quæ nolit nostris arva teri pedibus;
Ferreus ille tamen, vetitis moriturus in oris,
Æternum patria sede carere potest.
Huic igitur si mors fati prævenerit annos,
Quam merito justas inferet illa manus!
Tunc sibi quid prosint argenti pondera? quid si,
Gemmarum quidquid India mittit, habet?
Quid celebri captas gentes traxisse triumpho?
Aut alio quovis munere partus honos?
Si nec mater adest misero, dulcesque propinqui,
Anxius obsequio quisque juvare suo?
Si nec cara soror, potu quæ leniat usque
Arentem, vita deficiente, sitim?
Postque fleat fratrem extinctum, multoque dolore,
Et lacrimis lectos contumulet cineres?
Talia præsentes a me depellite divi
Immerito; cupidos hæc mala habere decet.

Vos celebrare mihi veteres concedite sedes
Patris, et antiquo thura adolere lari.
Tunc læter ruris placidos habitare recessus,
Rusticaque insueta munera obire manu.
Culta seram, valido subigamque novalia tauro;
Nec renuam vitis falce putare comas;
Ac teneros duro scindens de caudice ramos,
Deponam scrobibus, vere ineunte, cavis.
Maturoque legam redolentia tempore poma,
Et condam e pleno dulcia musta lacu.
Ducere nec pudeat ad pabula læta juvencos,
Ubera dum saturi plena domum referant.
His felix opibus, de parvo inglorius agro
Despiciam insani rostra superba fori.
Huc venies Tyrio interdum præfulgidus ostro,
Spes et cura animi prima, Rodulphe, mei.
Ipse tuo adventu lætus te paupere cultu
Sedulus, et festis excipiam dapibus;
Et tecum gelidos fontes, et flumina visam,
Et nemora, et notis antra reposta jugis.
Quod si forte voles magnos circumdare saltus,
Retibus et celeres sollicitare feras,
Ipse sciam quæ pascat aper, quæ devia cervus,
Atque aptis laqueos disposuisse locis;
Ipse vagos tremula venabor arundine pisces,
Altera si capto gaudia pisce voles.
Dulcia tum grati amplexus solatia ruris,
Liberior curis ad tua sacra redi.
At tu pone metum, et tristes depone querelas,
Julia, nec comptum neglige mœsta caput;

Neu cupidæ teneros macies deformis in artus
Serpat, et e niveo defluat ore color.
Namque parata tibi reditus sunt gaudia nostri,
Incolumem et servat me tibi sancta Venus;
Quæ velit unanimes utinam nos vivere, donec
Extremos claudat tarda senecta dies.

DE HIPPOLYTO

CARDINALI MEDICEO.

Hippolytum Medica cernis qui gente, viator,
Et juvenem ignota veste nitere vides;
Cur ostro tectus non sit, si forte requiris,
Accipe, et hæc placida perlege mente precor.
Danubii ad ripas his quondam cultibus acrem
Submovit Turcam finibus Ausoniis,
Ultima Bactra olim, viresque Orientis, et Indum
In nostrum veheres cum, Solimane, caput.
Jure igitur sumtis colitur dux maximus armis,
Quorum præsidio libera turba sumus.
Ipsum alias decuere sacræ redimicula mitræ,
Et pressit flavas infula pura comas;
Hinc diversa novos dispensant tempora cultus:
Tu modo victorem ter veneratus abi.

AD NYMPHAS.

Agrestes Nymphæ, flavi quas Tibridis unda,
Lætaque vicinis fontibus antra juvant,
Has pictis aras circum variantibus herbis
Suscitat e vivo cespite Miltiades;
Vobis quas cornu ductus, Cererique quotannis
Imbuat e parva mysticus hircus hara.
Tantum nocturnas procul hinc arcete rapinas,
Abstineant avidas femina virque manus;
Dum regum mensas dapibus postponit inemtis,
Musarum dulces subsequiturque choros,

AD SODALES GRAVITER ÆGROTUS.

Ultima jam properant, video, mea fata, sodales,
Meque ævi metas jam tetigisse monent.
Si foret hic certis morbus sanabilis herbis,
Sensissem medicæ jam miser artis opem;
Si lacrimis, vestrum quis me non luxit? et ultro
Languentem toties non miseratus abit?
Obstruxere aures nostris contraria votis
Numina, et hæc ventos irrita ferre jubent.
Vos mihi, quos olim colui, dum fata sinebant,
Ultima jam cineri dona parate meo.

Vobiscum labor hic fuerit, quando his procul oris,
Ignara heu nostri funeris, uxor abest;
Uxor abest, nostrique diu studiosa videndi
Pro reditu patriis dona vovet laribus.
Hæc potuit præsens, nato comitata, feretrum
Floribus, et multa composuisse rosa;
Et nivei lactis fontes libásse, meríque,
Conjugis ut manes spargere mœsta queat.
At qui me extrema compellet voce sodalem,
Et claudat tenera lumina nostra manu,
Et fugientem animam suprema exceperit hora,
Hoc vos communi pro pietate rogo.
Non operosa peto tituloe mihi marmora ponant,
Nostra sed accipiat fictilis ossa cadus;
Exceptet gremio quæ mox placidissima tellus,
Immites possint ne nocuisse feræ.
Rivulus hæc circum dissectus obambulet, unda
Clivoso qualis tramite ducta sonat;
Exiguis stet cæsa notis super ossa sepulta,
Nomen et his servet parva tabella meum;
" Hic jacet ante annos crudeli tabe peremtus
Molsa; ter injecto pulvere, pastor, abi"
Forsitan in putrem longo post tempore glebam
Vertar, et hæc flores induet urna novos;
Populus aut potius abruptis artubus alba
Formosa exsurgam conspicienda coma.
Quicquid ero, vestra hæc pariter descendet in imam
Tellurem pietas, Elysiumque nemus.
Quod mihi si tumulo vobis curantibus arbor
Ingruat, et virides explicet alta comas;

Quæ circum nitidis, æstus dum sævit, obumbret
Frondibus, et scissam tegmine opacet humum;
Jam mihi, pyramides, regum monumenta, valete,
Et quidquid miri barbara Memphis habet.
Scilicet huc, diti pecoris comitata magistro,
Conveniet festo pulchra puella die;
Quæ molles ductet choreas, et veste recincta
Ad certos nôrit membra movere modos.
Quin erit illa dies, frigus cum captet opacum
Hic aliquis flavo cum Corydone Mycon,
Et cantare pares, et respondere parati,
Alternis certent vincere carminibus;
Quorum aliquis forsan crudeli funere raptum
Me gemat, et lacrimis polluat ora piis,
Ac misero instauret funus, sternatque sepulcrum
Floribus, et nomen tollat in astra meum;
Et dulci referat musarum ut captus amore,
Sustinui patriæ linquere tecta puer;
Mollibus utque olim vitam dum degimus hortis,
Regales potui deseruisse domos;
Utque sub umbrosæ quercus, platanique virentis,
Maluerim densa delituisse coma,
Quam Tyria pictum chlamyde, auroque intertextum
Captatis vulgi plausibus urbe vehi.
Tum faciles memoret mores, et puriter acta
Percurrat vitæ tempora quæque meæ.
Non ego Lutheri volvens monumenta, nefandis
Germanûm populos ritibus implicui;
Non mea mortiferos pôrxit tibi dextera succos,
Hippolyte, Ausonii flenda ruina soli;

Auspicio externas cujus tandem Itala tellus
Abjectas Medica cuspide sensit opes.
Te rigidi stupuere Getæ, Rhenusque bicornis,
Et tremuit famulis frigidus Ister aquis;
Miles ab Eoo veniens cum littore Nili
Ingemuit latebras tam procul esse tibi.
Ultorem nobis talem te te affore, pensa
Ferrea quæ ducunt, præmonuere deæ;
Sed tantum terris quis te ostensura putâsset
Numina, tamque brevi tot peritura bona?
Itala res tecum periit, tecum Itala virtus;
O nimis immiti stamina rupta manu!
Cuncta ego quæ Latii dulces vulgare per oras
Dum propero, et laudes dicere, magne, tuas,
Ante diem Elysios cogor cognoscere campos,
Implet odoratum qua pia turba nemus.
Illic ne incerta ludar regione viarum,
Occurras vati nobilis umbra tuo,
Et myrto cinctum caput, aut Daphneïde fronde,
In tibi vicino me velis esse loco.
Interea dulces cœtus valeatis amici;
Jam vocat in nigros mors tenebrosa lacus;
Increpitatque moras Letheæ portitor undæ,
Et remi auditus per loca senta fragor.
Dii tamen in melius vertant hæc omina, si quem
Humanis precibus non pudet esse locum.

MARCI HIERONYMI VIDÆ

POETICORUM

LIB. I.

Sit fas vestra mihi vulgare arcana per orbem,
Pierides, penitusque sacros recludere fontes;
Dum vatem egregium teneris educere ab annis,
Heroum qui facta canat, laudesve deorum,
Mente agito, vestrique in vertice sistere montis.
Ecquis erit juvenum, segni qui plebe relicta
Sub pedibus, pulchræ laudis succensus amore
Ausit inaccessæ mecum se credere rupi,
Lætæ ubi Pierides, cithara dum pulcher Apollo
Personat, indulgent choreis, et carmina dicunt?
Primus ades, Francisce; sacras ne despice Musas,
Regia progenies, cui regum debita sceptra
Gallorum, cum firma annis accesserit ætas.
Hæc tibi parva ferunt jam nunc solatia dulces;
Dum procul a patria raptum, amplexuque tuorum,

Ah dolor! Hispanis sors impia detinet oris,
Henrico cum fratre: patris sic fata tulerunt
Magnanimi, dum fortuna luctatur iniqua.
Parce tamen, puer, o! lacrymis; fata aspera forsan
Mitescent, aderitque dies lætissima tandem
Post triste exilium patriis cum redditus oris
Lætitiam ingentem populorum, omnesque per urbes
Accipies plausus, et lætas undique voces,
Votaque pro reditu persolvent debita matres.
Interea te Pierides comitentur; in altos
Jam te Parnassi mecum aude attollere lucos.
Jamque adeo in primis ne te non carminis unum
Prætereat genus esse, licet celebranda reperti
Ad sacra sint tantum versus, laudesve deorum
Dicendas, ne relligio sine honore jaceret;
Nam traxere etiam paulatim ad cætera Musas,
Versibus et variis cecinerunt omnia vates.
Sed nullum e numero carmen præstantius omni,
Quam quo post divos heroum facta recensent,
Versibus undè etiam nomen fecere minores;
Munere concessum Phœbi venerabile donum
Phemonoës, quæ prima dedit, si vera vetustas,
Ex adyto haud aliis numeris responsa per orbem.
Tu vero ipse humeros explorans consule primum,
Atque tuis prudens genus elige viribus aptum.
Nam licet hic divos ac dlis genitos heroas
In primis doceam canere, et res dicere gestas;
Hæc tamen interdum mea te præcepta juvabunt,
Seu scenam ingrediens populo spectacula præbes,
Sive elegis juvenum lacrimas, quibus igne medullas

Urit amor, seu pastorum de more querelas
Et lites Siculi vatis modularis avena;
Sive aliud quodcunque canis quo carmine cunque,
Nunquam hinc, ne dubita, prorsum inconsultus abibis.
Atque ideo quodcunque audes, quodcunque paratus
Aggrederis, tibi sit placitum, atque arriserit ultro
Ante animo; nec jussa canas, nisi forte coactus
Magnorum imperio regum, si quis tamen usquam est
Primores inter nostros qui talia curet.
Omnia sponte sua, quæ nos elegimus ipsi,
Proveniunt; duro assequimur vix jussa labore.
Sed neque cum primum tibi mentem inopina cupido
Atque repens calor attigerit, subito aggrediendum est
Magnum opus; adde moram, tecumque irupensius ante
Consule, quicquid id est, partesque expende per omnes,
Mente diu versans, donec nova cura senescat.
Ante etiam pelago quam pandas vela patenti,
Incumbasque operi incipiens, tibi digna supellex
Verborum rerumque paranda est, proque videnda
Instant multa prius, quorum vatum indiget usus;
Illis tempus erit mox cum lætabere partis.
Sponte sua, dum forte etiam nil tale putamus,
In mentem quædam veniunt, quæ forsitan ultro,
Si semel exciderint, nunquam revocata redibunt,
Atque eadem studio frustra expectabis inani.
Nec mihi non placeant, qui, fundamenta laborum
Cum jaciunt, veterum explorant opera inclyta vatum
Noctes atque dies, passimque accommoda cogunt
Auxilia, intentique aciem per cuncta volutant.
Quinetiam prius effigiem formare solutis,

Totiusque operis simulacrum fingere, verbis
Proderit, atque omnes ex ordine nectere partes,
Et seriem rerum, et certos tibi ponere fines,
Per quos tuta regens vestigia tendere pergas.
Jamque hic tempus erat dare vela vocantibus Euris,
Condendique operis primas præscribere leges;
At prius, ætati teneræ quæ cura colendæ,
Dicendum, quantus puero labor impendendus:
Nulli etenim insignem dabitur gestare coronam,
Pieridum choreas teneris nisi nôrit ab annis.
Postquam igitur primas fandi puer hauserit artes,
Jam tunc incipiat riguos accedere fontes,
Et Phœbum et dulces Musas assuescat amare.
Ille autem parvum qui primis artibus ante
Imbuit, atque modos docuit, legesque loquendi,
Sincerus vocis, cuperem, ac purissimus oris
Contigerit, fandi ne fors puer atque nefandi
Nescius, imbiberit male gratæ semina linguæ,
Quæ post infecto ex animo radicitus ulla
Non valeas; meliora docens, evellere cura.
Idcirco mihi ne quisquam persuadeat oro,
Ut placeant, qui, dum cupiunt se numine lævo
Tollere humo, et penitus jactant se ignota docere,
Conventu in medio, septique impube corona,
Insolito penitus fandi de more magistri,
Obscuras gaudent in vulgum spargere voces
Irrisi, fœdam illuviem, atque immania monstra.
Non minus à recta mentis ratione feruntur
Decepti, quam qui, liquidi cum pocula fontes
Sufficiant, malunt graveolentem haurire paludem.

Ne mihi, ne teneræ talis se admoverit auri,
Sed procul, o procul ista ferat, natosque Getarum
Imbuat, aut si qua est gens toto obtusior orbe.
Jamque igitur, mea cura, puer penetralia vatum
Ingrediatur, et Aonia se proluat unda;
Jamque sacrum teneris vatem veneretur ab annis,
Quem Musæ Mincî herbosis aluere sub antris,
Atque olim similem poscat sibi numina versum,
Admirans artem, admirans præclara reperta.
Nec mora, jam favet Ascanio, tactusque dolore
Impubes legit æquales, quos impius hausit
Ante diem Mavors, et acerbo funere mersit.
Multa super Lauso, super et Pallante perempto
Multa rogat, lacrimas inter quoque singula fundit
Carmina, crudeli cum raptum morte parenti
Ah! miseræ legit Euryalum, pulchrosque per artus
Purpureum, letho dum volvitur, ire cruorem.
Nec non interea Graios accedere vates
Audeat, et linguam teneris assuescat utramque
Auribus, exercens nunc hanc, nunc impiger illam.
Nulla mora est, nostro Æneæ jam conferet igneis
Æaciden flagrantem animis, Ithacumque vagantem,
Atque ambos sæpe impellet concurrere vates.
Nunc geminas, puer, huc aures, huc dirige mentem
Nam, quia non paucos parte ex utraque poëtas
Nostrosque, Graiosque tibi se offerre videbis,
Quos hic evites, quibus idem fidere tutus
Evaleas, dicam, ne quis te fallere possit.
Haud multus labor auctores tibi prodere Graios,
Quos inter potitur sceptris insignis Homerus:

Hunc omnes alii observant, hinc pectore numen
Concipiunt vates, blandumque Heliconis amorem.
Felices, quos illa ætas, quos protulit illi
Proxima. Divino quanto quisque ortus Homero
Vicinus magis, est tanto præstantior omnis:
Degenerant adeo magis ac magis usque minores,
Obliti veterum præclara inventa parentum.
Jamque fere Inachiæ restincta est gloria linguæ
Omnis, et Argolici jussi concedere avitis
Sunt pulsi reges soliis, civesque coacti
Diversa exilia, atque alienas quærere terras.
Huc illuc inopes errant, habet omnia victor
Barbarus, et versis nunc luget Græcia fatis.
Nostri autem, ut sanctum divæ Helicona colentes
Cœperunt primum in Latium transferre, fluebant
Versu incomposito informes, artisque Pelasgæ
Indociles musâ furidebant carmina agresti,
Silvicolas inter Fáunos; tunc omne sonabat
Arbustum fremitu silvaï frondosaï.
Nondum acies, nondum arma rudi pater Ennius ore
Tentârat, qui mox Graio de vertice primus
Est ausus viridem in Latio sperare coronam.
Tum rerum causas, naturæ arcana latentis
Explorare ausi, cecinerunt carmine dulci
Omnia Pierio spargentes nectare vates.
Atque ita deinde rudes paulatim sumere versus
Cœperunt formam insignem, penitusque Latini
Agrestem exuerunt morem, liquidissima donec
Tempestas veluti cœli post nubila et imbres,
Extulit os sacrum, soboles certissima Phœbi,

Virgilius; qui mox, veterum squalore situque
Deterso, in melius mira omnia rettulit arte,
Vocem animumque deo similis: date lilia plenis,
Pierides, calathis, tantoque assurgite alumno.
Unus hic ingenio præstanti gentis Achivæ
Divinos vates longe superavit, et arte,
Aureus! immortale sonans! stupet ipsa, pavetque,
Quamvis ingentem miretur Græcia Homerum.
Haud alio Latium tantum se tempore jactat:
Tunc linguæ Ausoniæ potuit quæ maxima virtus
Esse, fuit, cœloque ingens se gloria vexit
Italiæ; sperare nefas sit vatibus ultra.
Nulla mora, ex illo in pejus ruere omnia visa,
Degenerare animi, atque retro res lapsa referri.
Hic namque ingenio confisus posthabet artem;
Ille furit strepitu, tenditque æquare tubarum
Voce sonos, versusque tonat sine more per omnes;
Dant alii cantus vacuos, et inania verba
Incassum, sola capti dulcedine vocis;
Pierides donec Romam et Tiberina fluenta
Deseruere, Italis expulsæ protinus oris.
Tanti causa mali Latio gens aspera aperto
Sæpius irrumpens; sunt jussi vertere morem
Ausonidæ victi, victoris vocibus usi.
Cessit amor Musarum; artes subiere repente
Indignæ; atque opibus cuncti incubuere parandis.
Jampridem tandem Ausonios invisere rursus
Cœperunt Medicûm revocatæ munere Musæ;
Tuscorum Medicûm, quos tandem protulit ætas
Europæ in tantis solamen dulce ruinis.

Illi etiam Græiæ miserati incommoda gentis,
Ne Danaûm penitus caderet cum nomine virtus,
In Latium advectos juvenes, juvenumque magistros,
Argolicas artes quibus esset cura tueri,
Securos Musas jussere, atque otia amare.
Illi etiam captas late misere per urbes,
Qui doctas tabulas, veterum monumenta virorum,
Mercati pretio adveherent, quæ barbarus igni
Tradebat Danaûm regnis opibusque potitus.
Et tentamus adhuc sceptris imponere nostris
Externum, necdum civiles condimus enses?
Hæc ætas omnis, vatum hæc fortuna priorum.
Ergo ipsum ante alios animo venerare Maronem,
Atque unum sequere, utque potes, vestigia serva.
Qui si forte tibi non omnia sufficit unus,
Adde illi natos eodem quoque tempore vates.
Parce dehinc, puer, atque alios ne quære doceri;
Nec te discendi capiat tam dira cupido.
Tempus erit tibi, mox cum firma advenerit ætas,
Spectatum ut cunctos impune accedere detur.
Interea moniti vos hic audite, parentes.
Quærendus rector de millibus, eque legendus,
Sicubi Musarum studiis insignis et arte,
Qui curas dulces carique parentis amorem
Induat, atque velit blandum perferre laborem.
Illa suis niti nondum ausit viribus ætas,
Externæ sed opis, alienæque indiga curæ est.
Nam puerum, ni præsentis vis fida regentis
Adsit, et hunc dulcem studiorum infundat amorem,
Illecebræ sacris avertant mille Camœnis

Deceptum falsa melioris imagine curæ.
Sic quoque ubi cultis plantas defodit in hortis
Agricola, et teneras telluri credidit almæ,
Fraxineos contos subito erigit, et sua cuique
Robora, ut innixæ ventos cœlique ruinam
Contemnant, surgantque leves impune per auras.
Ille autem, pueri cui credita cura colendi
Artibus egregiis, in primis optet amari,
Atque odium cari super omnia vitet alumni:
Ne forte et sacras simul oderit ille Camœnas
Imprudens, et adhuc tantæ dulcedinis expers;
Deficiantque animi studiorum in limine primo.
Ponite crudeles iras et flagra, magistri,
Fœda ministeria, atque minis absistite acerbis:
Ne mihi, ne, quæso, puerum quis verbera cogat
Dura pati; neque enim lacrimas aut dulcis alumni
Ferre queunt Musæ gemitus, ægræque recedunt;
Illiusque cadunt animi, nec jam amplius audet
Sponte sua quicquam egregium; ingratumque laborem
Invitus trahit ægre, animoque ad verbera durat.
Vidi ego, qui semper levia ob commissa vocabat
Ad pœnam pueros, furiis insurgere et ira
Terribilem, invisos veluti sæviret in hostes:
Hinc semper gemitus, hinc verbera dira sonabant.
Atque equidem memini, cum formidatus iniquis
Urgeret pœnis, solitoque immanior ille
Terreret turbam invalidam, (miserabile visu!)
Forte puer prima signans nondum ora juventa,
Insignis facie ante alios, exegerat omnem
Cum sociis ludens lucem, oblitusque timoris

Posthabuit ludo jussos ediscere versus.
Ecce! furens animis multa increpat ille, minisque
Insurgens sævo pavitantem territat ore
Horrendum, et loris dextram crudelibus armat.
Quo subito terrore puer miserabilis acri
Corripitur morbo; parvo is post tempore vitam
Crescentem blanda cœli sub luce reliquit.
Illum populifer Padus, illum Serius imis,
Seriadesque diu Nymphæ, flevere sub undis.
Tempore jam ex illo, vatem cum dura jubentem
Phœbigenam Alcides animo indignante peremit,
Vocali invisam feriens testudine frontem,
Debuerat sævos factum monuisse magistros.
Vos tamen, o jussi juvenes, parete regentum
Imperiis, ultroque animos summittite vestros.
Si quem igitur clari formandi gloria vatis
Digna manet, verbis puerum compellet amicis,
Sæpe rogans, laudisque animum pertentet amore.
Quandoquidem hunc imis postquam semel ossibus ignem
Implicuit, labor inde levis; sese excitat ardens
Sponte sua, durosque volens fert ille labores;
Et tacito vivens crescit sub pectore flamma.
Quid memorem? socium nam mos æqualibus annis
Jungere, cui paribus studiis contendat alumnus,
Æmula cum virtus stimulis agitârit honestis;
Præsertim si victori sua præmia rector
Pollicitus, celeremve canem, pictamve pharetram.
Continuo videas studio gestire legendi
Ardentem, ac sera sub nocte urgere laborem,
Dum timet alterius capiti spectare coronam.

Ast ubi sponte sua studia hæc assuêrit amare,
Jam non laudis amor, non illum gloria tantum
Sollicitat; sed mira operum dulcedine captus,
Musarum nequit avelli complexibus arctis.
Nonne vides, duri natos ubi sæpe parentes
Dulcibus amôrunt studiis, et discere avaras
Jusserunt artes; mentem si quando libido
Nota subit, solitaque animum dulcedine movit;
Ut læti rursum irriguos accedere fontes
Ardescant studiis, et nota revisere Tempe?
Exultant animis cupidi, pugnantque parentum
Imperiis; nequit ardentes vis ulla morari.
Sic assuetus equus jam duris ora lupatis,
Forte procul notis si armenta aspexit in arvis,
Huc veterum ferri cupit haud oblitus amorum,
Atque hic atque illic hæret, frænisque repugnat;
Quove magis stimulis instas, hoc acrius ille
Perfurit; it tandem multo vix verbere victus
Cœptum iter: ipsa tamen respectans crebra moratur
Pascua, et hinnitu late loca complet acuto.
Ah! quoties aliquis sacros reminiscitur æger
Fontes incassum, et lucos suspirat amatos,
Dulcibus ereptus Musis puer, atria ut alta
Incoleret regum, rebus præfectus agendis!
Tibure quam mallet, gelido aut sub Tusculo, iniquam
Pauperiemque pati, et ventos perferre nivales!
Contra autem vanum multi effudere laborem,
Quos frustra excoluisse solum male pinguis arenæ
Pœnituit, ventisque viam tentâsse negatis.
Quod ne cui sero contingat forte docenti,

Continuo poterit certis præsciscere signis.
Namque puer nullis rectorum hortatibus ipse
Sponte sua exercetur, amatque, rogatque docentes
Primus, inardescitque ingenti laudis amore.
Provocat hinc socios pulchra ad certamina primus,
Exultatque animo victor; superatus amaris
Mordetur curis, latebrasque et sola requirit
Infelix loca; ad æquales pudet ire, gravesque
Vultus ferre nequit cari rectoris inultos;
Nec lacrimis penitus caruerunt ora decoris.
Hic mihi se divis fatisque volentibus affert,
Huic Musæ indulgent omnes, hunc poscit Apollo.
At nullam prorsus tibi spem frustra excitet ille,
Quem non ulla movet prædulcis gloria famæ,
Et præcepta negat duras dimittere in aures,
Immemor auditi; cui turpis inertia mentem
Dejicit, atque hebetes torpent in corpore sensus.
Huic curam moneo ne quisquam impendat inanem.
Nec placet ante annos vates puer; omnia justo
Tempore proveniant: ah! ne mihi olentia poma
Mitescant prius, autumnus bicoloribus uvis
Quam redeat, spumetque cadis vindemia plenis.
Ante diem nam lapsa cadent, ramosque relinquent
Maternos; calcabit humi projecta viator.
Nec ludos puero abnuimus; subducere mentem
Interdum studiis liceat; defessus amœna
Rura petat, sæpe et mores observet agrestûm;
Et venator agat de vertice Tiburtino
Veloces capreas, aut tendat retia cervis.
Non ille interea penitus patietur inanem

Ire diem; comitum cœtu se subtrahet ultro
Interdum, et sola secum meditabitur umbra
Agrestem Faunis laudem, Musasque sub alta
Consulet Albunea vitreas Anienis ad undas.
Nempe etiam alternis requiescere fœtibus arva
Permittunt sponte agricolæ, et cessare novales;
Interea vires tellus inarata resumit;
Quique subit, largis respondet frugibus annus.
Verum non eadem tamen omnibus esse memento
Ingenia. Inventus sæpe est, cui carmina curæ,
Cui placeant Musæ, cui non sit læva voluntas;
Nititur ille tamen frustra, et contendit inani
Delusus studio, vetitisque accingitur ausis:
Numina læva obstant, precibusque vocatus Apollo.
Orabit melius causas fors ille, animoque
Naturam et cæcos rerum scrutabitur ortus.
Sæpe tamen cultusque frequens, et cura docentûm
Imperat ingeniis, naturaque flectitur arte.
Nec labor ille quidem rectoribus ultimus, acres
Incauto juveni stimulos avertere amoris;
Donec crescentem doceat maturior ætas
Ferre jugum, atque faces, sævique Cupidinis iras.
Sæpe etenim tectos immitis in ossibus ignes
Versat amor, mollesque est intus cura medullas,
Nec miserum patitur vatum meminisse, nec undæ
Castaliæ; tantum suspirat vulnere cæco.
Ante oculos simulacra volant noctesque diesque
Nuntia virginei vultus, quem perditus ardet.
Nec potis est alio fixam traducere mentem
Saucius; ignari frustra miscere parentes

Pæonios succos, medicasque Machaonis artes
Consulere; interea penitus calor ille reliquit
Pierius; torquent alii cor molle calores.
Cum vero jam pubescens mente altius hausit
Musarum dulcem, sanctique Heliconis, amorem,
Et sese Phœbo addixit, propriumque sacravit;
Haud tamen exploret vatum monumenta, sed idem
Consulat, atque alios auctores discat, ut acri
Nulla sit ingenio quam non libaverit artem.
Proderit in primis linguam Ciceronis ad unguem
Fingere, et eloquii per campos ire patentes.
Ille, decus Latii, magnæ lux altera Romæ,
Ore effundit opes fandi certissimus auctor;
Tantum omnes superans præclaræ munere linguæ,
Quantum iit ante alias Romana potentia gentes.
Profuit et varios mores hominumque, locorumque
Explorâsse situs, multas terraque marique
Aut vidisse ipsum urbes, aut narrantibus illas
Ex aliis novisse, et pictum in pariete mundum.
Quid referam, qui, ut sæva queant æquare canendo
Prœlia, non horrent certamina Martis adire,
Per mediasque acies vadunt, et bella lacessunt?
At quia dura vetant longum nos fata morari
In cunctis, revocatque angusti terminus ævi,
Vos sat erit, pueri, tantum omnes isse per artes,
Quarum summa sequi saltem fastigia oportet.
Nec refert, rate qui varias legit æquoris oras,
Mercis ut in patriam referat se dives opimæ,
Si non cuncta oculis lustraverit oppida passim,
Et circumfusis longum terat otia terris:

Sat fuerit portus, extremaque littora tantum
Explorâsse; secus toto vagus exulet ævo,
Et serus natos dulces patriamque reviset.
Nulla dies tamen interea, tibi nulla abeat nox,
Quin aliquid vatum sacrorum e fontibus almis
Hauseris, ac dulcem labris admoveris amnem:
Sed tibi præsertim princeps tunc hæreat illa
Cura animo, noctem atque diem te te excitet una,
Omnem quam propter libuit perferre laborem.
Non hic te quibus aut pedibus spatiisve monebo
Tendantur ducti versus; labor iste regentûm
Postulat haud multum curæ, qui sæpe morando
Ipsa minutatim metiri carmina sectis
In partes membris, et tempora certa docebunt.
Continuo, edico, jam tunc animosus alumnus
In numerum incipiat sub leges cogere verba;
Jam tunc summissa meditetur carmina voce,
Sermonum memor, antiquis quos vatibus hausit.
Tum votis sibi centum aures, tum lumina centum
Exoptat dubius rerum, metuensque pericli.
Dividit huc illuc animum, cunctamque pererrat
Naturam rerum, versatque per omnia mentem;
Quis rebus dexter modus, aut quæ mollia fandi
Tempora; vertuntur species in pectore mille.
Nec mora, nec requies; dubio sententia surgit
Multa animo, variatque; omnes convertitur anceps
In facies, nescitque etiam notissima, et hæret
Attonitus; nunc multa animum, nunc consulit aures,
Secum mente agitans, si qua olim audita recursent
Sponte sua; et memorem mentem excitat, atque repôstas

Thesauris depromit opes, lætusque laboris
Ipse sui parto fruitur; multa ecce! repente
Fors inopina aperit cunctanti, aliudque putanti,
Jamque hæc, jamque illa attentat, texitque retexitque
Et variis indefessus conatibus instat.
Sæpe etenim occurrunt haud dictu mollia, ubi hæret
Cura diu, multoque exercita corda labore.
Nunc hos, nunc illos aditus vestigat, et omnia
Attentans scopulo longum luctatur iniquo,
Dum se qua ostendit facilis via; denique multa
Aut vi, aut cœli et fortunæ munere, victor
Exultat, domitoque animis it ad æthera monstro.
Ast ubi nulla viam nec vis, nec dextra aperit fors,
Nec prodest vires fessas renovare, nec aptum
Nunc hic, nunc illic captare ad carmina tempus;
Invitus cura absistit, tristisque relinquit
Cœpta infecta, pedem referens: ceu forte viator
Si quis tendat iter campis, cui se amnis abundans
Ecce! viæ in medio objiciat, spumisque fragosos
Post imbrem volvens montis de vertice fluctus;
Horrescit, ripaque moratus obambulat anceps;
Tum demum metuens retro redit æger, iterque
Aut alia tenet, aut, cedant dum flumina, differt.
Sed neque inexpertus rerum jam texere longas
Audeat Iliadas; paulatim assuescat, et ante
Incipiat graciles pastorum inflare cicutas.
Jam poterit culicis numeris fera dicere fata;
Aut quanta ediderit certamine fulmineus mus
Funera in argutas et amantes humida turmas;
Ordirive dolos et retia tenuis aranei.

Consiliis etiam hic nostris, vobisque, docentes,
Est monitis opus: ingeniis nam parcere multa
Fas teneris, donec paulatim attollere sese
Incipiant animi, videantque in carmine labem
Per se ipsi, et tacito rubeant ultro ora pudore.
Nam maculas si forte omnes per carmina monstret
Quæsitor ferus; abjiciant spem protinus omnem,
Atque alias animo potius vertantur ad artes.
Nostrum igitur si forte adeat puer indole limen
Egregia, ut consulta petat, parere paratus,
Quique velit sese arbitrio supponere nostro,
Excipiam placidus; nec me juvenile pigebit
Ad cœlum vultu simulato extollere carmen
Laudibus; et stimulos acres sub pectore figam.
Post tamen ut multa spe mentem arrexerit ardens,
Si quis forte inter, veluti de vulnere claudus,
Tardus eat versus, quem non videt inscius ipse,
Delususque sonis teneras fallacibus aures;
Haud medicas afferre manus, ægroque mederi
Addubitem, et semper meliora ostendere pergam.
Quod superest, etiam moneo, creberque monebo,
Ne quisquam nisi curarum liberque laborum
Inchoet egregium quicquam; verum procul urbis
Attonitæ fugiat strepitus, et amœna silentis
Accedat loca ruris, ubi Dryadesque puellæ,
Panesque, Faunique, et montivagi Sylvani.
Hic læti haud magnis opibus, non divite cultu,
Vitam agitant vates; procul est sceleratus habendi
Hinc amor, insanæ spes longe, atque impia vota,
Et nunquam diræ subeunt ea limina curæ;

Dulcia et alma quies, ac paucis nota voluptas.
At nimium trux ille, ferisque e cautibus ortus,
Qui sanctos, genus innocuum, populumque deorum,
Aut armis audet vates, aut lædere dictis.
Vidi ego, qui ad summos Musarum munere honores
Evecti, mox ingratos contemnere Musas,
Nec vates saltem alloquio dignarier ipsos.
Parcite, mortales, sacros vexare poëtas:
Ultores sperate deos, sub numine quorum
Semper vita fuit vatum defensa piorum.
Illi omnes sibi fortunas posuere volentes
Sub pedibus; regumque et opes, et sceptra superba
Ingenti vincunt animo, et mortalia rident.
Non illis usquam scelerum mens conscia cæcos
Horrescit cœli crepitus, ignemve coruscum,
Cum pater omnipotens præruptas fulmine turres
Ingeminans quatit, ac montes diverberat altos.
Securi terrorum hilares ad sidera mentes
Arrexere, deûmque agitant sine crimine vitam.
Dona deûm Musæ: vulgus procul este prophanum.
Has magni natas Jovis olim duxit ab astris
Callidus in terras insigni fraude Prometheus,
Cum liquidos etiam mortalibus attulit ignes.
Quippe rudes hominum mentes et pectora dura
Ipse sagax animo miseratus, ubi astra per aurea
Ire datum, ac superûm lætis accumbere mensis,
Miratus sonitum circumvolventis Olympi
Ingentem, magnique argutos ætheris orbes,
Quos, sua quemque, cient vario discrimine Musæ;
Continuo utilius ratus est mortalibus addi

Post ignem nil posse, animumque ad callida movit
Furta vigil. Dii mox cœlestia dona volentes
Concessere, doli licet audentissimus ipse
Auctor Caucaseo sævas dèt vertice pœnas.
Quo terrore, nisi multo post tempore, inertes
Non ausi dias homines accersere Musas;
Sed ventura prius pandebant carmine soli
Cœlicolæ, dubiisque dabant oracula rebus.
Ipse pater divûm Dodonæ carmina primus
Et Libycis cecinit lucis; mox Phocidis antro
Insonuit Themis alma; suos quoque pulcher Apollo
Responsis monuit Delphos; nec defuit olim
Antiquis Faunus caneret qui fata Latinis.
Tum Solymûm prisci vates, tum sacra Sibyllæ
Nomina, divinas cœli in penetralia mentes
Arripuere, deumque animis hausere furentes.
Nec mora; quæ primum Fauni vatesque canebant
Carmina, mortales passim didicere per urbes,
Post epulas laudes heroum et facta canentes.
Quid mirandum homini cœlo divinitus æque
Concessum? mortale genus tua numina sentit,
Quisquis es ille, deus certe! qui pectora vatum
Incolis, afflatasque rapis super æthera mentes.
Te sine nil nobis lætum, nec amabile quicquam.
Ipsæ etiam volucres vario tua numina cantu
Testantur; pecudesque feræ, mutæque natantes,
Ad tua jussa citæ properant; tua munera saxa
Dura movent, silvasque trahunt hinc inde sequentes.
Te quoque senserunt olim impia Tartara, et umbræ
Pallentes stupuere; minas tibi janitor Orci

Oblitus; sævas posuere et Erinnyes iras.
Tu Jovis ambrosiis das nos accumbere mensis;
Tu nos diis æquas superis; tu blanda laborum
Sufficis, et duræ præsens solatia vitæ.
Salve hominum dulcis requies, divûmque voluptas!
Ipse tuæ egregios audax nunc laudis honores
Ingredior vates idem, superûmque sacerdos;
Sacraque dona fero teneris comitatus alumnis.

LIB. II.

Pergite, Pierides, natæ Jovis; en! mihi totum
Nunc fas venturis Helicona recludere sæclis.
Inspirate animum; templa ipse in vestra sacerdos
Sacra ferens, juvenes florentes mollibus annis
Duco audens durum per iter: vos, mollia, divæ,
Si qua latent, vobis tantum divortia nota,
Præsentes monstrate, novosque ostendite calles,
Quos teneam. Vos en! omnis, vos Itala pubes,
Quæ juga sub nostris nunc tendit ad ardua signis,
Supplicibus poscit votis, facilesque precatur.
Nam mihi nunc reperire apta, atque reperta docendum
Digerere, atque suo quæque ordine rite locare:
Durus uterque labor; sed quos deus aspicit æquus,
Sæpe suis subito invenient accommoda votis.
Altera nempe arti tantum est obnoxia cura,
Unde solent laudem in primis optare poëtæ.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine semper
Prudentes leviter rerum fastigia summa
Libant, et parcis attingunt omnia dictis,

Quæ canere statuere; simul cœlestia divûm
Auxilia implorant, propriis nil viribus ausi.
Quos ores autem non magni denique refert,
Dum memor auspiciis cujusquam cuncta deorum
Aggrediere: Jovis neque enim nisi rite vocato
Numine fas quicquam ordiri mortalibus altum.
Nec sat opem implorare semel, Musasque ciere;
Sed quoties, veluti scopuli, durissima dictu
Objicient sese tibi, non superanda labore
Mortali, divos toties orare licebit.
Incipiens odium fugito, facilesque legentûm
Nil tumidus demulce animos; nec grandia jam tum
Convenit, aut nimium cultum ostentantia fari;
Omnia sed nudis prope erit fas promere verbis:
Ne, si magna sones, cum nondum ad prœlia ventum,
Deficias medio irrisus certamine, cum res
Postulat ingentes animos, viresque valentes.
Principiis potius semper majora sequantur:
Protinus illectas succende cupidine mentes,
Et studium lectorum animis innecte legendi.
Jam vero cum rem propones, nomine nunquam
Prodere conveniet manifesto; semper opertis
Indiciis, longe et verborum ambage petita
Significant, umbraque obducunt; inde tamen, ceu
Sublustri e nebula, rerum tralucet imago
Clarius, et certis datur omnia cernere signis.
Hinc si dura mihi passus dicendus Ulysses,
Non illum vero memorabo nomine, sed qui
Et mores hominum multorum vidit, et urbes,
Naufragus, eversæ post sæva incendia Trojæ.

Addam alia, angustis complectens omnia dictis.
Ergo age, quæ vates servandi cura fatiget
Ordinis intentos operi, cum carmine aperto
Rem tempus narrare, loco ut dispôsta decenti
Omnia sint opere in toto, nec meta laborum
Usquam dissideat ingressibus ultima primis.
Principio invigilant non expectata legenti
Promere, suspensosque animos novitate tenere,
Atque per ambages seriem deducere rerum;
Nec, quacunque viam suadet res gesta, sequuntur.
Plerumque a mediis, arrepto tempore, fari
Incipiunt, ubi facta vident jam carmine digna.
Inde minutatim gestarum ad limina rerum
Tendentes, prima repetunt ab origine factum.
Hoc faciunt, operum primo ne in limine lector
Hæreat, ignarusque viæ, incertusque laborum.
Namque ubi eum metam jam tum statuere sub ipsam,
Lætior ingreditur spe mentem arrectus inani,
Dum putat exigui finem prope adesse laboris.
Sed portus, quos ante oculos habet usque propinquos
Approperans, jam jamque tenet, similisque tenenti est,
Longa procul longo via dividit invia tractu:
Flectendi retro cursus, via plurima eunti
Restat adhuc, multumque illi maris æquor arandum.
Haud sapiens quisquam, annales ceu congerat, Ilii
Inchoet excidium veteri pastoris ab usque
Judicio, memorans ex ordine singula, quicquid
Ad Trojam Argolicis cessatum est Hectore duro.
Conveniet potius prope finem prœlia tanta
Ordiri, atque graves iras de virgine rapta

Aversi Æacidæ præmittere: tum fera bella
Consurgunt, tum pleni amnes Danaâmque, Phrygumque,
Xanthusque, Simoisque, et inundant sanguine fossæ.
Haud tamen interea quæ præcessere silendum,
Aulide jurantes Danaos, vectasque per æquor
Mille rates, raptusque Helenes, et conjugis iras,
Quæque novem Troja est annos perpessa priores.
Atque etiam, in patriam si quis deducere adortus
Errantem Laërtiaden post Pergama capta,
Non illum Idæo solventem e littore classem
Cum sociis primum memoret, Ciconesque subactos;
Sed jam tum Ogygiam delatum sistat ad alta
Virginis, amissis sociis, Atlantidos antra.
Exin post varios Phæacum in regna labores
Inferat; hic positis demum ipse miserrima mensis,
Erroresque suos narret, casusque suorum.
Ante tamen si gesta canunt, ab origine causas
Expediunt, quis dehinc status, et quæ tempora rerum.
Primus at ille labor versu tenuisse legentem
Suspensum, incertumque diu, qui denique rerum
Eventus maneant; quo tandem durus Achilles
Munere placatus regi, rursum induat arma
In Teucros; cujusve dei Laërtius heros
Auxilio, Polypheme, tuis evadat ab antris.
Lectores cupidi expectant, durantque volentes,
Nec perferre negant, superest quodcunque malorum;
Inde licet fessos somnus gravis avocet artus,
Aut epulis placanda fames, Cererisque libido;
Hoc studium, hanc operam sero dimittimus ægri.
Nonne vides, ut sæpe aliquis nimis arte superbit

Improbus, et captis animis illudere gaudet,
Et nunc huc, deinde huc, mentes deducit hiantes,
Suspenditque diu miseros, torquetque legentes?
Ille quidem, si te magnum certamen Atridæ
Et Paridis, multo promissum carmine nuper,
Expectare avidum, sævaque cupidine captum,
Senserit, usque moras trahet ultro, et differet arma,
Dum celsa Priamo patribusque e turre Lacæna,
Nomine quemque suo, reges ostendet Achivos.
Ipsa procos etiam ut jussit certare sagittis
Penelope, optatas promittens callida tædas
Victori, per quanta moræ dispendia mentes
Suspensas trahet, ante viri quam proferet arcum
Thesauris clausum antiquis, penitusque repôstum!
Haud tamen omnino incertum, metam usque sub ipsam
Exactorum operum, lectorem in nube relinquunt.
Sed rerum eventus nonnullis sæpe canendo
Indiciis porro ostendunt in luce maligna,
Sublustrique aliquid dant cernere noctis in umbra.
Hinc pater Æneam, multique instantia vates
Fata docent Latio bella, horrida bella manere,
Atque alium partum Trojanis rebus Achillem.
Spem tamen incendunt animo, firmantque labantem,
Spondentes meliora, et res in fine quietas.
Ipse quoque agnovit per se, cum in limine belli
Navibus egressus turmas invasit agrestes,
Atque (omen pugnæ) prostravit marte Latinos,
Occiso, ante alios qui sese objecerat, hoste.
Fata Mencetiades etiam prædixerat olim
Victori moriens majori instare sub hoste,

Quamvis haud fuerit res credita. Tu quoque, Turne,
Prævidisse tuos poteras, heu! perdite, casus
Longe ante exitium, cum crebro obscœna volucris
Per clypeum, perque ora, volans stridentibus alis
Omine turbavit mentem, admonuitque futuri.
Hinc tibi tempus erit, magno cum optaveris emptum
Intactum Pallanta, et cum spolia aurea baltei
Oderis, atque tibi haud stabit victoria parvo.
Nam juvat hæc ipsos inter præscîsse legentes,
Quamvis sint et adhuc confusa, et nubila porro.
Haud aliter longinqua petit qui forte viator
Mœnia, si positas altis in collibus arces
Nunc etiam dubias oculis videt, incipit ultro
Lætior ire viam, placidumque urgere laborem,
Quam cum nusquam ullæ cernuntur, quas adit, arces,
Obscurum sed iter tendit convallibus imis.
Tuque ideo nisi mente prius, nisi pectore toto
Crebra agites quodcunque canis, tecumque premendo
Totum opus ædifices, iterumque iterumque retractes,
Laudatum alterius frustra mirabere carmen.
Nec te fors inopina regat, casusque labantem;
Omnia consiliis provisa, animoque volenti
Certus age, ac semper nutu rationis eant res.
Quandoquidem sæpe incerti huc illucque vagamur,
Inque alia ex aliis inviti illabimur orsa,
Dum multa ac varians animis sententia surgit.
Sæpe vides, primis ut quidam longius orsis
Digrediuntur, et obliti quasi cœpta priora,
Longe aliis hærent nulla sermonibus arte,
Et longos peragrant tractus aliena canentes.

Ac velut in patriam peregrina si quis ab ora
Ire cupit, post exilium, durosque labores,
Ille tamen recto non qua via tramite ducit,
Carpit iter, sed nunc vagus hac, nunc errat et illac,
Undique dum studio fontes invisit inani,
Fontesque, fluviosque, et amœnos frigore lucos.
Nam quid opus gemmis armatos pingere currus,
Multa superque rotas, super axes multa morari,
Tunc, cum bella manus poscunt, atque arma fremit Mars?
Nec si quem indecoremque animi, pugnasque perosum,
Egregios inter memoras heroas in armis
Castra sequi, cupidi expectant audire legentes
Qua facie, quibus ille humeris, qualive capillo
Incedat, captusne oculo, an pes claudicet alter,
Aut longo vertex ductu consurgat acutus,
Ordine cuncta, aliud quasi nil tibi restat agendum.
Aptior Ausonius Drances, cui frigida bello
Dextra quidem, sed consiliis non futilis auctor,
Dives opum, pollens lingua et popularibus auris.
Multa tamen Graiæ fert indulgentia linguæ,
Quæ nostros minus addeceant, graviora sequentes.
Quid tibi nonnullas artes, studiumque minorum
Indignum referam? Sunt qui, ut se plurima nôsse
Ostentent, pateatque suarum opulentia rerum,
Quicquid opum congesserunt, sine more, sine arte
Irrisi effundunt, et versibus omnia acervant;
Præcipue si quid summotum, si quid opertum,
Atque parum vulgi notum auribus, aut radiantis
De cœli arcana ratione, deûmve remota
Natura, aut animæ obscuro impenetrabilis ortu.

Sæpe etiam accumulant antiqua exempla virorum,
Carminis ingratum genus! hinc atque inde petita,
Quamvis sæpe illis tempusque locusque repugnet.
Ne, pueri, ne talem animis inducite morem,
Nec vos decipiat laudis tam dira cupido.
Haud sum animi dubius magnos memorare pœtas
Interdum solisque vias, lunæque labores,
Astrorumque ortus, qua vi tumida æquora surgant,
Unde tremor terris, quamvis illi orsa sequantur
Longe alia, aut duri cantantes prœlia Martis,
Aut terræ mores varios, cultusque docentes.
At prius invenere locum; dein, tempore capto,
Talia subjiciunt parci, nec sponte videntur
Fari ea; rem credas hoc ipsam poscere, ita astum
Dissimulant, aditusque petunt super omnia molles.
Cur pater Anchises natum opportuna rogantem
Non doceat, rursusne animæ semel æthere cassæ
Ad cœlum redeant, blandique ad luminis auras?
Igneus anne ollis vigor, et cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant?
Quandoquidem, ut varium sit opus, namque inde voluptas
Grata venit, rebus non usque hærebis in iisdem.
Verum ubi vis animis varius succurrere fessis,
Ingrederisque novas facies, rerumque figuras,
Paulatim capto primis delabere cœptis.
Tempore, nec positis insit violentia rebus;
Omnia sponte sua veniant, lateatque vagandi
Dulcis amor, cunctamque potens labor occulat artem.
Sic olim Æneæ, venturi haud inscius ævi,
Res Italûm in clypeo, Romanorumque triumphos,

Fecerat Ignipotens, pugnàtaque in ordine bella,
Stirpis ab Ascanio quondam genus omne futurum.
Tum si quis Latio cretus de sanguine vates
Prosequitur varias oras moresque locorum,
Medosque, Æthiopasque, et dites arboris Indos;
Immemor ille nimis patriæ, oblitusve suorum,
Si non Italiæ laudes æquaverit astris,
Cui neque Medorum silvæ, neque Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaïa certet arenis.
Quare etiam, egregii vates, ego carmina vestra
Haud equidem arguerim, qui pectora fessa legentûm
Interdum, atque aures recreatis carmine dulci.
Non ego, post Celei crates, post tribula dicta,
Rastraque, plaustraque, et inflexo cum vomere aratra,
Addubitem flere extincti miserabile funus
Romani ducis; aut ruris laudare quietem,
Post vites dictas Baechi, et silvestria dona.
Vidi etiam, qui jam perfecto munere longam
Subjecere moram, extremo sub fine vagantes
Exactorum operum, vacua dum carmina musa
In longum traherent, cujus dulcedine mira
Fessi animi cuperent iterumque iterumque redire.
Me nulla idcirco quiret vis sistere, quin, post
Naturas et apum dictas, et liquida mella,
Tristis Aristæi questus, monitusque parentis,
Prosequerer dulci sermone, et Protea vinctum.
Addam Threicii carmen miserabile vatis,
Qualis populea queritur Philomela sub umbra,
Ut Rhodope, ut Pangæa fleant, Rhesi ut domus alta,
Atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia.

Non aliam ob causam reges qui in prœlia euntes
Dinumerant, populosque, moram traxere canentes,
Aut Ligurum regi, ob casum Phaëthontis amati
Dum gemit, et mœstum musa solatur amorem,
In silvis cano natas in corpore plumas;
Aut rursum Hippolytum superas venisse sub auras
Pæoniis revocatum herbis, et amore Dianæ.
Nec vero interea quæ cuique insignia, quæ arma
Prætereunt; pingunt clypeos, atque Hercule pulchro
Pulcher Aventinus satus olim insigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram.
Sæpe etiam loca amœna canunt, et frigida Tempe;
Nunc variis pingunt cum floribus auricomum ver;
Nunc virides liquidis inducunt fontibus umbras,
Crebraque fluviorum in ripis spatiantur opacis,
Aut Veneti Eridani, aut Ætoli Acheloï:
Addunt et Panas, Faunos, Dryadasque puellas,
Et centum æquoreas, Nereo genitore, sorores.
  Sæpe tamen memorandum inter ludicra memento
Permiscere aliquid, breviter mortalia corda
Quod moveat, tangens humanæ commoda vitæ,
Quodque olim jubeant natos meminisse parentes.
  At non exiguis etiam te insistere rebus
Abnuerim, si magna voles componere parvis,
Aut apibus Tyrios, aut Troja ex urbe profectos
Formicis, Libycum properant dum linquere littus.
Sed non Ausonii recte fœdissima musca
Militis æquârit numerum, cum plurima mulctram
Pervolitat, neque enim in Latio magno ore sonantem
Arma ducesque decet, tam viles decidere in res.

Nec dictis erit ullus honos, si cum actus ab urbe
Daunius hostili, Teucris urgentibus, heros
Vix pugna absistit, similis dicetur asello,
Quem pueri læto pascentem pinguia in agro
Hordea, stipitibus duris detrudere tendunt
Instantes, quatiuntque sudes per terga, per armos;
Ille autem campo vix cedere, et inter eundum
Sæpe hic atque illic avidis insistere malis.
Omnia conveniunt, rerumque simillima imago est;
Credo equidem; sed turpe pecus: nec Turnus asellum,
Turnus avis atavisque potens, dignabitur heros.
Aptius hanc speciem referet leo, quem neque terga
Ira dare aut virtus patitur, neque sufficit unus
Tendere tot contra, telisque obstare sequentûm.
Hoc quoque non studiis nobis levioribus instat
Curandum, ut, quando non semper vera profamur
Fingentes, saltem sint illa simillima veris.
Vidi aliquos, qui, cum Glauco medio æquore belli
Tydides ferus occurrit, vix credere possunt
Tot traxisse moras longis sermonibus usos
Inter sese ambos, dum fervent omnia cæde.
Alter enim duri narrat fera fata Lycurgi,
Crimine damnati falso alter Bellerophontis
Facta refert, magna domitam virtute Chimæram,
Et victos pariter Solymos et Amazonas armis.
Nam quæ multa canunt ficta et non credita vates,
Dulcia quo vacuas teneant mendacia mentes,
Illis nulla fides, quam nec sibi denique aperti
Exposcunt, nec dissimulant, licet omnia obumbrent
Relligione deum, quæ non credenda profantur.

Idcirco solis perhibent armenta locuta
Mortua, et in verubus Vulcano tosta colurnis;
Ut minus acris equos itidem miremur Achillis,
Verbaque veliferas rostris fudisse carinas;
Omnia quæ porta veniunt insomnia eburna.
Disce etiam, pulchri tibi si cura ordinis ulla est,
Res tantum semel effari; repetita bis aures
Ferre negant, subeunt fessas fastidia mentes;
Quanquam etiam hic nostris cernes differre Pelasgos.
Nam tibi non referent semel illi somnia Atridæ;
Nec sat erit, si rettulerint quid fortis Achilles
Mente dolens Danaûm sese subduxerit armis,
Ipse iterum Æacides nisi solo in littore ponti
Flens eadem æquoreæ narraverit omnia matri.
Quinetiam reges cum dant mandata ferenda,
Cuncta canunt prius ipsi, eadem mox carmine eodem
Missi oratores repetunt, nihil ordine verso:
Non sic Ausonius Venulus, legatus ab Arpis
Cum redit, Ætoli referens responsa tyranni.
Altum aliis assurgat opus; tu nocte dieque
Exiguum meditator, ubi sint omnia culta,
Et visenda novis iterumque iterumque figuris.
Quod si longarum cordi magis ampla viarum
Sunt spatia, angustis cum res tibi finibus arcta,
In longum trahito arte; viæ tibi mille trahendi,
Mille modi; nam ficta potes multa addere veris,
Et petere hinc illinc variarum semina rerum.
Nonne vides, ut nostra deos in prœlia ducant,
Hos Teucris, alios Danais socia arma ferentes,
Certantesque inter se odiis, donec pater ipse

Concilium vocet, atque ingentes molliat iras?
Cum secura tamen penitus natura deorum
Degat, et aspectu nostro summota quiescat.
Addunt infernasque domos, regna invia vivis,
Tartareosque lacus, Ditemque, et Erinnyas atras.
Tum volucrum captant cantus, atque omina pennæ;
Sæpe etiam hospitibus convivia læta receptis,
Regalesque canunt epulas, ubi multa repôstis
Narrantur dapibus vario sermone vicissim.
Nunc ludos celebrant magnorum ad busta virorum;
Annua nunc patriis peragunt diis sacra periclo
Servati quondam, laudesque ad sidera tollunt
Aut Phœbi, monstro ingenti Pythone perempto,
Aut magni Alcidæ, Cacum ut videre jacentem;
Rege sub Eurystheo tulerit quos ille labores
Alterni repetunt cantu; super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
An memorem, quandoque omnes intendere nervos
Cum libuit, verbisque ipsam rem æquare canendo?
Seu dicenda feri tempestas horrida ponti,
Ventorum et rabies, fractæque ad saxa carinæ
Aut Siculo angusto, aut impacato Euxino;
Sive coorta repente lues, cum multa ferarum
Corpora, multa hominum letho data; sive Sicana
Dicendum quantis terra tonet Ætna ruinis,
Prorumpens atram cœli usque ad sidera nubem,
Turbine fumantem piceo, et candente favilla.
Vidisti, cum bella canunt horrentia, et arma,
Arma fremunt, miscentque equitum peditumque ruinas;
Ante oculos Martis sese offert tristis imago,

Non tantum ut dici videantur, fed fieri res,
Unde ipsis nomen Graii fecere poëtis;
Armorum fragor audiri, gemitusque cadentûm,
Cædentumqûe ictus, et inania vota precantûm.
Quis quoque, cum captas evolvunt hostibus urbes,
Temperet a lacrymis? tectorum ad culmina sævas
Ire faces, passimque domos involvere flammas,
Cernere erit, trepidosque senes, puerosque parentes
Amplexos, flentesque ipsas ad sidera matres
Tollentes clamorem, hostes interque suosque;
Abstractasque nurus adytis arisque deorum,
Et crinem laniare, et pectora tundere palmis;
Hos fugere, ast illos ingentem abducere prædam;
Perque domos, perque alta ruunt delubra deorum,
Atque huc atque illuc tota discurritur urbe.
Quid cum animis sacer est furor additus, atque potens vis?
Nam variant species animorum, et pectora nostra
Nunc hos, nunc illos, multo discrimine, motus
Concipiunt; seu quod cœli mutatur in horas
Tempestas, hominumque simul quoque pectora mutant;
Seu quia non iidem respondent sæpe labore
Sensus effœti, atque animus cum corpore languet;
Seu quia curarum interdum vacuique doloris,
Interdum tristes cæco intus tundimur æstu.
Dii potius nostris ardorem hunc mentibus addunt,
Dii potius; felixque ideo qui tempora quivit,
Adventumque dei, et sacrum expectare calorem,
Paulisperque operi posito subducere mentem,
Mutati donec redeat clementia cœli.

Sponte sua veniet justum, ne accersite, tempus.
Interdum et silvis frondes, et fontibus humor,
Desunt; nec victis semper cava flumina ripis
Plena fluunt; nec semper agros ver pingit apricos.
Sors eadem incertis contingit sæpe poëtis.
Interdum exhaustæ languent ad carmina vires,
Absumptusque vigor, studiorumque immemor est mens;
Torpescunt sensus, circum præcordia sanguis
Stat gelidus; credas penitus migrâsse Camœnas,
Notaque nunquam ipsum rediturum in pectora Phœbum;
Nil adeo Musæ, nil subvenit auctor Apollo.
Ah! quoties aliquis frustra consueta retentat
Munera, nec cernit cœlum se tendere contra,
Adversosque deos, atque implacabile numen!
Quidam autem inventus, qui sæpe reduceret auras
Optatas, veterum cantando carmina vatum,
Paulatimque animo blandum invitaret amorem;
Donec collectæ vires, animique refecti,
Et rediit vigor ille, velut post nubila et imbres
Sol micat æthereus: unde hæc tam clara repente
Tempestas? deus ecce! deus jam corda fatigat,
Altius insinuat venis, penitusque per artus
Diditur, atque faces sævas sub pectore versat.
Nec se jam capit acer agens calor, igneaque intus
Vis sævit, totoque agitat se corpore numen.
Ille autem exultans jactat jam non sua verba,
Oblitusque hominem, mirum sonat; haud potis ignem
Excutere; invitum miratur se ire, rapique
Præcipitem, te, Phœbe, vocans, te, Phœbe, prementem
Vociferans, plenusque deo, stimulisque subactus

Haud placidis; non ille dapum, non ille quietis
Aut somni memor, hanc potis est deponere curam.
Sæpe etiam in somnis memores Phœbeia versant
Munera, et inventi quidam, qui sæpe sopore
In medio Musis cecinere et Apolline digna.
Tantus amor famæ, præsentis tanta dei vis!
Ne tamen ah! nimium, puer, o ne fide calori:
Non te fortuna semper permittimus uti,
Præsentique aura, sævum dum pectore numen
Insidet; at potius ratioque et cura resistat.
Fræno siste furentem animum, et sub signa vocato,
Et premere, et laxas scito dare cautus habenas.
Atque ideo semper tunc expectare jubemus,
Dum fuerint placati animi, compressus et omnis
Impetus; hic recolens sedato corde revise
Omnia, quæ cæcus menti subjecerit ardor.
Præterea haud lateat te, nil conarier artem,
Naturam nisi ut assimulet, propiusque sequatur.
Hanc unam vates sibi proposuere magistram;
Quicquid agunt, hujus semper vestigia servant.
Hinc varios moresque hominum, moresque animantûm,
Aut studia imparibus diversa ætatibus apta
Effingunt facie verborum, et imagine reddunt,
Quæ tardosque senes deceant, juvenesque virentes,
Fœmineumque genus, quantum quoque rura colenti,
Aut famulo, distet regum alto e sanguine cretus.
Nam mihi non placeat, teneros si sit gravis annos
Telemachus supra, senior si Nestor inani
Gaudeat et ludo, et canibus, pictisve pharetris.
Et quoniam in nostro multi persæpe loquuntur

Carmine, verba illis pro conditione virorum
Aut rerum damus, et proprii tribuuntur honores,
Cuique suus; seu mas, seu fœmina, sive deus sit.
Semper enim summus divûm pater atque hominum rex
Ipse in concilio fatur, si forte coorta
Seditio, paucis; at non Venus aurea contra
Pauca refert, Teucrûm indignos miserata labores.
Ingreditur furiis, atque alta silentia rumpit,
Acta furore gravi, Juno, ac fœta usque querelis.
Cumque etiam juveni gliscat violentia major,
Ardens cui virtus, animusque in pectore præsens,
Nulla mora in Turno, nec dicta animosa retractat;
Stat conferre manum, et certamine provocat hostem,
Desertorem Asiæ; verum quantum ille feroci
Virtute exsuperat, tanto est impensius æquum
Et pietate gravem, et sedato corde Latinum
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Multum etiam intererit, Didone irata loquatur,
An pacato animo; Libycas si linquere terras
Trojanus paret, et desertum fallere amorem,
Sæviet, ac tota passim bacchabitur urbe,
Mentis inops, immanis, atrox, verba aspera rumpet,
Confusasque dabit voces, incertaque et anceps
Quæ quibus anteferat; quantum ah! distabit ab illa
Didone, excepit Teucros quæ nuper egentes,
Solvere corde metum atque jubens secludere curas,
Invitansque suis vellent considere regnis!
Nec te oratores pigeat, artisque magistros,
Consuluisse, Sinon Phrygios quo fallere possit
Arte, dolis quocunque animos impellere doctus;

Quove tenere queat Graios fandi auctor Ulysses,
Stante domum Troja tandem discedere certos.
Quid tibi nunc dulcem præ cunctis Nestora dicam,
Qui toties inter primores Argivorum
Ingentes potuit verbis componere lites,
Et mulcere animos, et mollia fingere corda?
Artibus his certe Cytherea instructa, dolisque,
Arma rogat nato genitrix, et adultera læsum
Vulcanum alloquitur, dictisque aspirat amorem:
Nam causas petit ex alto indeprensa, virique
Circuit occulta verborum indagine mentem.
Discitur hinc etenim sensus mentesque legentûm
Flectere, diversosque animis motus dare, ut illis
Imperet arte potens (dictu mirabile!) vates.
Nam semper, seu læta canat, seu tristia mœrens,
Affectas implet tacita dulcedine mentes.
Quem non Threïcii quondam sors aspera vatis
Molliat, amissam dum solo in littore secum,
Eurydice, solans ægrum testudine amorem,
Te, veniente die, te, decedente vocaret?
Quid? puer Euryalus cum pulchros volvitur artus,
Ah dolor! inque humeros lapsa cervice recumbens
Languescit moriens, ceu flos succisus aratro?
Ardet adire animus lectori, et currere in ipsum
Volscentem, puerique manum supponere mento
Labenti, ac largum frustra prohibere cruorem,
Purpureo niveum signantem flumine pectus.
Postremo, tibi si qua instant dicenda, ruborem
Quæ tenerum incuterent Musis adaperta, chorisque
Virgineis, molli vel præterlabere tactu

Dissimulans, vel verte tlio, et tem suffice fictam.
Si pater omnipotens tonitru cœlum omne ciebit,
Speluncam Dido dux et Trojanus eandem
Deveniant; pudor ulterius nihil addere curet:
Nam sat erit, Tellus quod prima, et conscius Æther
Connubii dent signum, ululentque in vertice Nymphæ.
Neve aliis, impar nimium, ne Troïlus armis
Ah puer infelix! facito concurrat Achilli,
Quam quibus in Libyco conspexit littore pictum
Illum Anchisiades heros, dum victus anhelis
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani;
Nec pueri veros congressus discere cures.
Quid deceat, quid non, tibi nostri ostendere possunt;
Inventa ex aliis disce, et te plurima Achivos
Consulere hortamur veteres, Argivaque regna
Explorare oculis, et opimam avertere gazam
In Latium, atque domum lætum spolia ampla referre.
Haud minor est adeo virtus, si te audit Apollo,
Inventa Argivûm in patriam convertere vocem,
Quam si tute aliquid intactum inveneris ante.
Aspice, ut insignis peregrino incedat in auro
Fatidicæ Mantûs et Mincî filius amnis!
Fulgeat ut magni exuvias indutus Homeri!
Nec pudet. Egregias artes ostenderit, esto,
Græcia, tradiderit Latio præclara reperta;
Dum post in melius aliunde accepta Latini
Omnia rettulerint, dum longe maxima Roma
Ut belli studiis, ita doctis artibus omnes,
Quot sol cunque videt terrarum, anteiverit urbes.
Dii Romæ indigetes, Trojæ tuque auctor, Apollo,

Unde genus nostrum cœli se tollit ad astra,
Hanc saltem auferri laudem prohibete Latinis:
Artibus emineat semper, studiisque Minervæ,
Italia, et gentes doceat pulcherrima Roma;
Quandoquidem armorum penitus fortuna recessit,
Tanta Italos inter crevit discordia reges.
Ipsi nos inter sævos distringimus enses,
Nec patriam pudet externis aperire tyrannis.
Spes tamen Italiæ prostratæ affulserat ingens
Nuper, et egregiis animos erexerat ausis;
Heu frustra! invidit laudi fors læva Latinæ,
Necdum fata malis Italûm exsaturata quiêrunt.
Jam gentes longe positæ trepidare, duceseque
Externi; jam dives Arabs, jam Nilus, et Indus
Audierant longe Tusci decora alta Leonis,
Audierant Medicûmque genus, stirpemque deorum.
Jam tum ille egregias curas accinxerat ardens
Pro patriæ decore, pro libertate sepulta
Antiquæ Ausoniæ, germano fretus Iulo,
Quicum partitus curarum ingentia semper
Pondera, commissas rerum tractabat habenas,
Idem regnatorque hominum, divûmque sacerdos.
Jamque illum Europæ reges gensque omnis in unum
Conversique oculos, conversique ora tenebant;
Jamque duces animis illum concordibus omnes
Velle sequi trepidos in Turcas arma parantem.
Illum quadrijugo invectum per mœnia curru,
Roma, triumphato vidisses protinus orbe;
Illum, Tibri pater, lætanti spumeus alveo
Exciperes, Tuscus Tuscum, veheresque per undas,

Miratas habitusque novos, hominumque figuras,
Issent post currus capti longo ordine reges;
Oblitusque minas minor iret barbarus hostis,
Qui victis Solymis nunc, atque oriente subacto,
Exultat fidens, orbisque affectat habenas
Efferus, atque Italæ jam jam (scelus!) imminet oræ.
Visendi studio passim Romana juventus
Per fora, perque vias, festa discurreret urbe.
Ipse suos solio fulgens pater aureus alto
Aspiceret cives longo post tempore visos;
Barbaricumque aurum, prædæque juberet acervos
Sacratis adytis, penitusque alta arce reponi.
Verum heu! dii, vestrum crimen! spes tanta repente
Italiæ absumpta, ac penitus fiducia cessit;
Egregius moriens heros secum omnia vertit.

LIB III.

Nunc autem linguæ studium, moremque loquendi,
Quem vates, Musæque probent, atque auctor Apollo,
Expediam, curam extremam, finemque laborum.
Discendum indicia, et verborum lumina, quæ sint
Munere Pieridum lustrandis addita rebus.
Ne te, opere incepto, deterreat ardua meta,
Audendum, puer, atque invicto pectore agendum.
Jam te Pierides summa en! de rupe propinquum
Voce vocant, viridique ostentant fronde coronam
Victori, atque animo stimulos hortatibus addunt.
Jamque rosas calathis spargunt per nubila plenis
Desuper; et florum placido te plurima nimbo
Tempestas operit, gratumque effusus odorem
Ambrosiæ liquor aspirat, divina voluptas.
Verborum in primis tenebras fuge, nubilaque atra;
Nam neque (si tantum fas credere) defuit olim,
Qui, lumen jucundum ultro lucemque perosus,
Obscuro nebulæ se circumfudit amictu:
Tantus amor noctis, latebræ tam dira cupido.
Ille ego sim, cui Pierides dent carmina Musæ
Lumine clara suo, externæ nihil indiga lucis.
Nec tamen id votis optandum denique magnis;
Ipse volens per te poteris; vis Dædala fandi
Tot se adeo in facies, tot se convertit in ora,
Mille trahens varia secum ratione colores.

Mille modis aperire datur mentisque latebras,
Quique latent tacito arcani sub pectore motus.
Si tibi, dum trepidas, non hac successerit, et lux
Non datur hinc, te verte alio, lumenque require
Nunc hac, nunc illac; donec diffulserit ultro,
Claraque tempestas cœlo radiârit aperto.
Quinetiam, angustis si non urgebere rebus,
Cum fandi tibi mille viæ, tibi mille figuræ
Occurrent, tu mille vias, tu mille figuras,
Nunc hanc, nunc aliam ingredere, et mutare memento,
Jamque hos jamque alios haud segnis sumere vultus.
Nempe inde illectas aures immensa voluptas
Detinet, et dulci pertentat pectora motu.
Ergo omnem curam impendunt, ut cernere nusquam
Sit formas similes, naturæ exempla secuti;
Dissimili quod sint facie, quæcunque sub astris
Vitales carpunt auras, genus omne ferarum,
Atque hominum, pictæ volucres, mutæque natantes.
Nonne vides, verbis ut veris sæpe relictis
Accersant simulata, aliundeque nomina porro
Transportent, aptentque aliis ea rebus, ut ipsæ
Exuviasque novas res, insolitosque colores,
Indutæ, sæpe externi mirentur amictus
Unde illi, lætæque aliena luce fruantur,
Mutatoque habitu, nec jam sua nomina mallent?
Sæpe ideo, cum bella canunt, incendia credas
Cernere, diluviumque ingens, surgentibus undis:
Contra etiam Martis pugnas imitabitur ignis,
Cum furit accensis acies Vulcania campis.
Nec turbato oritur quondam minor æquore turba;

Confligunt animosi Eurі certamine vasto
Inter se, pugnantque adversis molibus undæ.
Usque adeo passim sua res insignia lætæ
Permutantque, juvantque vicissim, et mutua sese
Altera in alterius transformat protinus ora.
Tum specie capti gaudent spectare legentes;
Nam diversa simul datur e re cernere eadem
Multarum simulacra animo subeuntia rerum.
Ceu cum forte olim placidi liquidissima ponti
Æquora vicina spectat de rupe viator,
Tantum illi subjecta oculis est mobilis unda;
Ille tamen silvas, interque virentia prata,
Inspiciens miratur, aquæ quæ purior humor
Cuncta refert, captosque eludit imagine visus.
Non aliter vates nunc huc traducere mentes,
Nunc illuc, animisque legentûm apponere gaudet
Diversas rerum species, dum tædia vitat.
Res humiles ille interea non secius effert,
Splendore illustrans alieno, et lumine vestit,
Verborumque simul vitat dispendia parcus.
Hunc fandi morem, si vera audivimus, ipsi
Cœlicolæ exercent cœli in penetralibus altis,
Pieridum chorus in terras quem detulit olim,
Atque homines docuere deûm præclara reperta.
Illæ etenim Jovis ætherea dicuntur in aula
Immixtæ superis festas agitare choreas,
Et semper canere alternæ, Phœbique fruuntur
Colloquio, vatumque inspirant pectora ab alto.
Nec tamen haud solis fugit hæc me nota poëtis;
Verum etiam auctores alii experiuntur, et audent,

Præcipue orantes causas, fandique magistri,
Seu sontes tendant legum compescere habenis,
Seu caros cupiant atris e mortis amicos
Faucibus eripere, et defletos reddere luci.
Quinetiam agricolas ea fandi nota voluptas
Exercet, dum læta seges, dum trudere gemmas
Incipiunt vites, sitientiaque ætheris imbrem
Prata bibunt, ridentque, satis surgentibus, agri.
Hanc vulgo speciem propriæ penuria vocis
Intulit, indictisque urgens in rebus egestas.
Quippe, ubi se vera ostendebant nomina nusquam,
Fas erat hinc atque hinc transferre simillima veris.
Paulatim accrevere artes, hominumque libido;
Quodque olim usus inops reperit, nunc ipsa voluptas
Postulat, hunc addens verborum rebus honorem.
Sic homines primum venti vis aspera adegit,
Vitandique imbres, stipulis horrentia tecta
Ponere, et informi sedem arctam claudere limo;
Nunc altæ æratis trabibus, Pariisque columnis,
Regifico surgunt ædes ad sidera luxu.
Parcius ista tamen delibant, et minus audent
Artifices alii; nec tanta licentia fandi
Cuique datur, solis vulgo concessa poëtis:
Nempe pedum hi duris cohibentur legibus, et se
Sponte sua spatiis angusti temporis arctant;
Liberius fas campum aliis decurrere apertum.
Sacri igitur vates, facta atque infecta canentes,
Libertate palam gaudent majore loquendi;
Quæsitique decent cultus magis, atque colores
Insoliti; nec erit tanto ars deprensa pudori.

Crebrius hi fando gaudent super æthera miris
Tollere res (nec sit fas tantum credere) dictis;
It cœlo clamor, tremit omnis murmure Olympus.
Nec mora, bis vocem ingeminant, urbisque ruinas,
Fataque, prœliaque, et sortem exsecrantur iniquam;
O pater! o patria! o Priami domus inclyta quondam!
Clamantes; cecidit, proh Jupiter! Ilion ingens.
Quid cum Neptunum dicunt mare, vina Lyæum,
Et Cererem frumenta, patrumque e nomine natos
Significant, memorantque urbes pro civibus ipsis?
Atque ideo, timor attonitos cum invaserit Afros,
Africa terribili tremit horrida terra tumultu.
Nec deerit tibi, pro fluviis, proque omnibus undis,
Pocula qui pressis Acheloïa misceat uvis.
Ecce! autem subitis conversi vocibus ultro
Sæpe aliquem longe absentem, desertaque, et antra,
Et solos montes affantur; sæpe salutant
Silvasque, fluviosque, et agros, sensuque carentes
Speluncas, velut hæc sint responsura vocata;
Et vos, o vacui, compellant nomine, saltus.
Præterea verbis inimicos addere sensus
Oppositis, dum dissimulant, aliudque videbis
Sæpe loqui, atque aliud simulata condere mente.
Egregia interea conjux ita nocte suprema
Deiphobo fidum capiti subduxerat ensem:
Nec minus insignis Drances, cum stragis acervos
Tot dedit, et claris insigniit arva tropæis.
Quid sequar ulterius, quanta dulcedine captas
Detineant aures, vocem cum rursus eandem
Ingeminant, modo non verborum cogat egestas?

Pan etiam Arcadia neget hoc si judice præsens,
Pan, etiam Arcadia dicam te judice vanum.
Hæc adeo cum sint, cum fas audere poëtis
Multa modis multis, tamen observare memento,
Si quando haud propriis rem mavis dicere verbis,
Translatisque aliunde notis, longeque petitis,
Ne nimiam ostendas quærendo talia, curam.
Namque aliqui exercent vim duram, et rebus iniqui
Nativam eripiunt formam, indignantibus ipsis,
Invitasque jubent alienos sumere vultus.
Haud magis imprudens mihi erit, et luminis expers,
Qui puero ingentes habitus det ferre gigantis,
Quam si quis stabula alta lares appellet equinos,
Aut crines magnæ genitricis gramina dicat,
Præstiterit vero faciem, spolia et sua cuique
Linquere, et interdum propriis rem prodere verbis,
Indiciisque suis, ea sint modo digna Camœnis.
Res etiam poteris rebus conferre vicissim,
Nominibusque ambas verisque suisque vocare;
Quod faciens, fuge verborum dispendia, paucisque
Includas numeris, unde illa simillima imago
Ducitur; et breviter confer, ne forte priorum
Oblitus sermonum alio traducere mentem,
Inque alia ex aliis videare exordia labi.
Jamque age, verborum qui sit delectus habendus,
Quæ ratio; nam nec sunt omnia versibus apta,
Omnia nec pariter tibi sunt uno ordine habenda.
Versibus ipsa etiam divisa, et carmina quantum
Carminibus distant, tantum distantia verba
Sunt etiam inter se, quamvis communia multa

Interdum invenies versus diffusa per omnes.
Multa decent scenam, quæ sunt fugienda canenti
Aut divûm laudes, aut heroum inclyta facta.
Ergo alte vestiga oculis, aciemque voluta
Verborum silva in magna ; tum accommoda Musis
Selige, et insignes vocum depascere honores,
Ut nitidus puro versus tibi fulgeat auro.
Rejice degenerem turbam, nil lucis habentem,
Indecoresque notas, ne sit non digna supellex.
Qui fieri id possit veterum te semita vatum
Observata docebit : adi monumenta priorum
Crebra oculis animoque legens, et multa voluta.
Tum quamvis, longe si quis supereminet omnes,
Virtutem ex illo ac rationem discere fandi
Te jubeam, cui contendas te reddere semper
Assimilem, atque habitus gressusque effingere euntis,
Quantum fata sinunt, et non aversus Apollo ;
Haud tamen interea reliquûm explorare labores
Abstiteris vatum, moneo, suspectaque dicta
Sublegere, et variam ex cunctis abducere gazam.
Nec dubitem versus hirsuti sæpe poëtæ
Suspensus lustrare, et vestigare legendo ;
Sicubi se quædam forte inter commoda versu
Dicta meo ostendant, quæ mox melioribus ipse
Auspiciis proprios possim mihi vertere in usus,
Detersa prorsus prisca rubigine scabra.
Flumina sæpe vides immundo turbida limo ;
Haurit aquam tamen inde frequens concursus, et altis
Important puteis ad pocula ; desuper illa
Occultis diffusa canalibus influit, omnemque

Illabens bibulas labem exuit inter arenas.
Nil adeo incultum, quod non splendescere possit:
Præcipue si cura vigil non desit, et usque
Mente premas, multumque animo tecum ipse volutes.
Atque ideo ex priscis semper quo more loquamur
Discendum, quorum depascimur aurea dicta,
Præcipuumque avidi rerum populamus honorem.
Aspice, ut exuvias veterumque insignia nobis
Aptemus; rerum accipimus nunc clara reperta,
Nunc seriem atque animum verborum, verba quoque ipsa;
Nec pudet interdum alterius nos ore locutos.
Cum vero cultis moliris furta poëtis,
Cautius ingredere, et raptus memor occule versis
Verborum indiciis, atque ordine falle legentes
Mutato; nova sit facies, nova prorsus imago.
Munere (nec longum tempus) vix ipse peracto
Dicta recognosces veteris mutata poëtæ.
Sæpe palam quidam rapiunt, cupiuntque videri
Omnibus intrepidi, ac furto lætantur in ipso
Deprensi; seu cum dictis, nihil ordine verso,
Longe alios iisdem sensus mira arte dedere,
Exueruntque animos verborum impune priores;
Seu cum certandi priscis succensa libido,
Et possessa diu, sed enim male condita, victis
Extorquere manu juvat, in meliusque referre;
Ceu sata, mutatoque solo felicius olim
Cernimus ad cœlum translatas surgere plantas.
Poma quoque utilius succos oblita priores
Proveniunt; sic regna Asiæ, Trojæque penates,
Transtulit auspiciis Phrygius melioribus heros

In Latium, quamvis (nam divûm fata vocabant)
Invitus, Phœnissa, tuo de littore cessit,
Nec connubia læta, nec incepti Hymenæi
Flexerunt immitem animum; tu victa dolore
Occidis, et curæ vix ipsa in morte relinquunt.
Nunquam o! Dardaniæ tetigissent vestra carinæ
Littora, fors nulli poteras succumbere culpæ.
Ergo agite o! mecum securi accingite furtis
Una omnes, pueri, passimque avertite prædam.
Infelix autem, (quidam nam sæpe reperti)
Viribus ipse suis temere qui fisus, et arti,
Externæ quasi opis nihil indigus, abnegat audax
Fida sequi veterum vestigia, dum sibi præda
Temperat heu! nimium, atque alienis parcere crevit,
Vana superstitio! Phœbi sine numine cura!
Haud longum tales ideo lætantur, et ipsi
Sæpe suis superant monumentis, illaudatique
Extremum ante diem fœtus flevere caducos,
Viventesque suæ viderunt funera famæ.
Quam cuperent vano potius caruisse labore,
Eque suis alias didicisse parentibus artes!
Sæpe mihi placet antiquis alludere dictis,
Atque aliud longe verbis proferre sub iisdem:
Nec mea tam sapiens per sese prodita quisquam
Furta redarguerit, quæ mox manifesta probabunt
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis;
Tantum absit, pœnæ metuens infamis ut ipse
Furta velim tegere, atque meas celare rapinas.
Non tamen omnia te priscis fas fidere, qui non
Omnia sufficient; quærenti pauca labore
Attentanda tuo, nondum ulli audita, supersunt.

Nos etiam quædam idcirco novâ condere nulla
Religio vetat, indictasque effundere voces:
Ne vero hæc penitus fuerint ignota, suumque
Agnoscant genus, et cognatam ostendere gentem
Possint, ac stirpis nitantur origine certa.
Usque adeo patriæ tibi si penuria vocis
Obstabit, fas Grajugenûm felicibus oris
Devehere informem massam, quam incudè Latina
Informans patrium jubeas dediscere morem.
Sic quondam Ausoniæ succrevit copia linguæ;
Sic auctum Latium, quo plurima tanstulit Argis
Usus, et exhaustis Itali potiuntur Athenis.
Nonne vides mediis ut multa erepta Mycenis,
Graia genus, fulgent nostris immixta, nec ullum
Apparet discrimen? eunt insignibus æquis
Undique per Latios et civis et advena tractus.
Jamdudum nostri cessit sermonis egestas;
Raro uber patriæ, tibi raro opulentia deerit.
Ipse suis Cicero thesauris omnia promet,
Auctoresque alii nati felicibus annis
Omnia sufficient, nec solis crede poëtis.
Sæpe etiam vidi veterum inter carmina vatum
Barbarico versus cultu gazaque superbos;
Belgicaque immisit trans Alpes esseda Gallus
In Latium, et longe Macedûm venere sarissæ:
Et metuam ne deficiat me larga supellex
Verborum, angustique premat sermonis egestas?
Quin et victa situ, si me penuria adaxit,
Verba licet renovare, licet tua, sancta vetustas,
Vatibus indugredi sacraria: sæpius olli

Ætatis gaudent insignibus antiquaï,
Et veterum ornatus induti incedere avorum.
Non tamen ille vetus squalor fuat undique, et ater
Verborum situs; his modus adsit denique, quando
Copia non defit, quorum nunc pervius usus.
Tum quoque si deerunt rebus sua nomina certa,
Fas illas apta verborum ambire corona,
Et late circumfusis comprêndere dictis.
Verba etiam tum bina juvat conjungere in unum
Molliter inter se vinclo sociata jugali.
Verum plura nefas vulgo congesta coire,
Ipsaque quadrifidis subniti carmina membris;
Itala nec passim fert monstra tricorpora tellus.
Horresco diros sonitus, ac lævia fundo
Invitus perterricrepas per carmina voces.
Argolici, quos ista decet concessa libido,
Talia connubia, et tales celebrent Hymenæos;
Tergeminas immane struant ad sidera moles,
Pelion addentes Ossæ, et Pelio Olympum.
At verbis etiam partes ingentia in ambas
Verba interpositis proscindere, seque parare,
Deterere interdum licet, atque abstraxe secando
Exiguam partem, et strinxisse fluentia membra.
Idcirco si quando ducum referenda, virumque
Nomina dura nimis dictu, atque asperrima cultu;
Illa aliqui, nunc addentes, nunc inde putantes
Pauca minutatim, lævant, ac mollia reddunt,
Sichæumque vocant mutata parte Sicharbam.
Hinc mihi Titanum pugnas et sæva gigantum
Bella magis libeat canere, Enceladique tumultus,

Quam populos Itala quondam virtute subactos,
Atque triumphatas diverso a littore gentes.
Sed neque, verborum causa, vis ulla canentem,
Consilium præter, cogat res addere inanes;
Nomina sed rebus semper servire jubeto,
Omnia perpendens versus resonantia membra.
Verba etenim quædam ignarum te fallere possunt,
Ni vigiles; mandatum et munus obire recusent,
Furenturque operi clam sese, et inertia cessent;
Cætera dum labor exercet concordia jussus,
Quæque suus; tantum illa dabunt numerumque sonumque.
Atque ideo quid ferre queant, quid quæque recusent,
Explorare prius labor esto, et munera justa
Mandato, ac proprium cunctis partire laborem.
Obscuros aliter crepitus et murmura vana
Miscebis, ludesque sonis fallacibus aures.
Nec tamen interdum vacuas animoque carentes
Addubitem ipse volens incassum fundere voces,
Verbaque quæ nullo fungantur munere sensus;
Dives ut egregio tantum et conspectus amictu
Versus eat, dulcique sono demulceat aures.
Atque adeo quæ sint, ne vero quære; profecto
Illa tibi se sponte dabunt per se obvia passim.
Sæpe autem ruptis vinclis exempta volutes
Membra, et compactum quæsitor disjice versum,
Post iterum refice, et partes in pristina redde
Partibus avulsas; nunquam te libera vinclis
Incautum fallent, resoluto carmine, verba.
Huc ades, hic penitus tibi totum Helicona recludam:
Te Musæ, puer, hic faciles penetralibus imis

Admittunt, sacrisque adytis invitat Apollo.
Principio, quoniam magni commercia cœli
Numina concessere homini, cui carmina curæ,
Ipse deûm genitor divinam noluit artem
Omnibus expositam vulgo immeritisque patere;
Atque ideo, turbam quo longe arceret inertem,
Angustam esse viam voluit, paucisque licere;
Multa adeo incumbunt doctis vigilanda poëtis.
Haud satis est illis utcunque claudere versum,
Et res verborum propria vi reddere clarâs;
Omnia sed numeris vocum concordibus aptant,
Atque sono, quæcunque canunt, imitantur, et aptâ
Verborum facie, et quæsito carminis ore.
Nam diversa opus est veluti dare versibus ora,
Diversosque habitus; ne qualis primus et alter,
Talis et inde alter, vultuque incedat eodem.
Hic melior motuque pedum, et pernicibus alis,
Molle viam tacito lapsu per lævia radit;
Ille autem membris ac mole ignavius ingens
Incedit tardo molimine subsidendo.
Ecce aliquis subit egregio pulcherrimus ore,
Cui lætum membris Venus omnibus afflat honorem;
Contra alius rudis informes ostendit et artus,
Hirsutumque supercilium, ac caudam sinuosam,
Ingratus visu, sonitu illætabilis ipso.
Nec vero hæ sine lege datæ, sine mente figuræ;
Sed facies suâ pro meritis, habitusque sonusque
Cunctis, cuique suus, vocum discrimine certo.
Ergo ubi jam nautæ spumas salis ære ruentes
Incubuêre mari, videas spumare reductis

Convulsum remis rostrisque stridentibus æquor.
Tunc longe sale saxa sonant, tunc et freta ventis
Incipiunt agitata tumescere; littore fluctus
Illidunt rauco, atque refracta remurmurat unda
Ad scopulos, cumulo insequitur prærruptus aquæ mons.
Nec mora, Trinacriam cernas procul intremere omnem
Funditus, et montes concurrere montibus altos.
Cum vero ex alto speculatus cærula Nereus
Leniit in morem stagni placidæque paludis,
Labitur uncta vadis abies, natat uncta carina.
Hinc etiam solers mirabere sæpe legendo,
Sicubi Vulcanus silvis incendia misit,
Aut agro, stipulas flamma crepitante cremari.
Nec minus exultant latices, cum tæda sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni.
Carmine nec lævi dicenda est scabra crepido.
Tum, si læta canunt, hilari quoque carmina vultu
Incedunt, lætumque sonant haud segnia verba:
Seu cum vere novo rident prata humida; seu cum
Panditur interea domus omnipotentis Olympi.
Contra autem sese tristes inamabile carmen
Induit in vultus, si forte invisa volucris
Nocte sedens serum canit importuna per umbras,
Ut quondam in bustis, aut culminibus desertis.
Verba etiam res exiguas angusta sequuntur,
Ingentesque juvant ingentia; cuncta gigantem
Vasta decent, vultus immanes, pectora lata,
Et magni membrorum artus, magna ossa, lacertique.
Atque adeo, si quid geritur molimine magno,
Adde moram, et pariter tecum quoque verba laborent

Segnia; seu quando vi multa gleba coactis
Æternum frangenda bidentibus, æquora seu cum
Cornua velatarum obvertimus antennarum.
At mora si fuerit damno, properare jubebo.
Si se forte cava extulerit mala vipera terra,
Tolle moras, cape saxa manu, cape robora, pastor;
Ferte citi flammas, date tela, repellite pestem.
Ipse etiam versus ruat, in præcepsque feratur,
Immenso cum præcipitans ruit Oceano nox,
Aut cum perculsus graviter procumbit humi bos.
Cumque etiam requies rebus datur, ipsa quoque ultro
Carmina paulisper cursu cessare videbis,
In medio interrupta; quierunt cum freta ponti,
Postquam auræ posuere, quiescere protinus ipsum
Cernere erit, mediisque inceptis sistere versum.
Quid dicam, senior cum telum imbelle sine ictu
Invalidus jacit, et defectis viribus æger?
Nam quoque tum versus segni pariter pede languet;
Sanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires.
Fortem autem juvenem deceat prorumpere in arces,
Evertisse domos, præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus perrumpere, sternere turres
Ingentes, totoque ferum dare funera campo.
Nulla adeo vatum major prudentia, quam se
Aut premere, aut rerum pro majestate canendo
Tollere: nunc illos animum summittere cernas
Verborum parcos, humilique obrepere gressu,
Textaque vix gracili deducere carmina filo;
Nunc illos, verbis opulentos, divite vena
Cernere erit fluere, ac laxis decurrere habenis

Fluxosque ingentesque; redundat copia læta
Ubere feliçi, verborumque ingruit agmen,
Hybernarum instar nivium, cum Jupiter Alpes
Frigidus aëreas atque alta cacumina vestit.
Interdum vero cohibent undantia lora,
Non humiles, non sublimes; media inter utrumque
Littus arant veluti spatia, et confinia radunt;
Sic demum portu læti conduntur in alto.
Quod superest, quæ postremo peragenda poëtæ,
Expediam. Postquam casus evaserit omnes,
Signaque perpetuum deduxit ad ultima carmen
Exultans animo victor, lætusque laborum;
Non totam subito præceps secura per urbem
Carmina vulgabit: ah! ne sit gloria tanti,
Et dulcis famæ quondam malesuada cupido;
At patiens operum semper, metuensque periçli
Expectet, donec sedata mente calorem
Paulatim exuerit, fœtusque abolerit amorem
Ipse sui, curamque alio traduxerit omnem.
Interea fidos adit haud securus amiços;
Utque velint inimicum animum, frontisque severæ
Dura supercilia induere, et non parcere culpæ,
Hos iterum atque iterum rogat; admonitusque latentis
Grates lætus agit vitii, et peccata fatetur
Sponte sua, quamvis etiam damnetur iniquo
Judicio, et falsum queat ore refellere crimen.
Tum demum redit, et post longa oblivia per se
Incipit hic illic veterem explorare laborem.
Ecce! autem ante oculos nova se fert undique imago,
Longe alia heu! facies rerum, mutataque ab illis

Carmina, quæ tantum ante, recens confecta, placebant.
Miratur tacitus, nec se cognoscit in illis
Immemor, atque operum piget, ac sese increpat ultro.
Tum retractat opus, commissa piacula doctæ
Palladis arte luens; nunc hæc, nunc rejicit illa,
Omnia tuta timens, melioraque sufficit illis,
Attondetque comas stringens, silvamque fluentem,
Luxuriemque minutatim depascit inanem,
Exercens durum imperium; dum funditus omnem,
Nocturnis instans operis, operisque diurnis,
Versibus eluerit labem, et commissa piârit.
Arduus hic labor; hic autem durate, poëtæ,
Gloria quos movet æternæ pulcherrima famæ.
Tum si qua est etiam pars imperfecta relicta,
Olim dum properat furor, ingeniique morari
Tempestas renuit; suppletque, et versibus affert
Invalidis miseratus opem, claudisque medetur.
Nec semel attrectare satis; verum omne quotannis
Terque quaterque opus evolvendum, verbaque versis
Æternum immutanda coloribus; omne frequenti
Sæpe revisendum studio per singula carmen.
Quod non una dies, fors afferet altera, et ultro,
Nullo olim studio, nulla olim in carmine cura,
Deprensæ per se prodentur tempore culpæ,
Quæque latent variæ densa inter nubila pestes.
Quinetiam doctum multum juvet ille laborem,
Qui varias cœli creber mutaverit oras.
Namque etiam mutant animi, genioque locorum
Diversas species, diversos pectora motus
Concipiunt, nostrisque novæ se mentibus offert

Ultro aliquid semper lucis, tenebræque recedunt,
Atque novos operi semper fas addere flores.
Verum esto hic etiam modus; huic imponere curæ
Nescivere aliqui finem, medicasque secandis
Morbis abstinuisse manus, et parcere tandem
Immites, donec macie confectus et æger
Aruit exhausto velut omni sanguine fœtus,
Nativumque decus posuit, dum plurima ubique
Deformat sectos artus inhonesta cicatrix.
Tuque ideo vitæ usque memor brevioris, ubi annos
Post aliquot (neque enim numerum, neque tempora pono
Certa tibi) addideris decoris satis atque nitoris,
Rumpe moras, opus ingentem dimitte per orbem,
Perque manus, perque ora virûm permitte vagari.
Continuo læto te dulces undique amici
Gratantes plausu excipient; tua gloria cœlo
Succedet, nomenque tuum sinus ultimus orbis
Audiet, ac nullo diffusum abolebitur ævo.
Et dubitamus opes animo contemnere avari,
Nec potius sequimur dulces ante omnia Musas?
O fortunati! quibus olim hæc numina dextra
Annuerint præcepta sequi, quæve ipse canendo
Jussa dedi plenus Phœbo, attonitusque furore;
Quando non artes satis ullæ, hominumque labores,
Et mea dicta parum prosint, ni desuper adsit
Auxilium, ac præsens favor omnipotentis Olympi.
Ipse viam tantum potui docuisse repertam
Aonas ad montes, longeque ostendere Musas,
Plaudentes celsæ choreas in vertice rupis;
Quo me haud ire sinunt unquam fata invida, et usque

Absterrentque, arcentque procul, nec summa jugi unquam
Fas prensare manu fastigia: sat mihi, si quem,
Si quem olim longe aspiciam mea fida secutum
Indicia exsuperâsse viam, summoque rceptum
Vertice, & hærentes socios juga ad alta vocantem.
Sed nonnulla tamen nostri quoque gratia facti
Forsan erit; me fida olim præcepta canentem
Stipabunt juvenes denso circum agmine fusi,
Et vocem excipient intenti sensibus omnes.
Tum, vitæ si justa meæ procedere lustra
Fata sinent, nec me viridi succiderit ævo
Impia mors, olli gelida tardante senecta
Languentem, & sera defessum ætate magistrum,
Certatim prensa super alta cacumina dextra
Sæpe trahent, ultroque ferent per amœna locorum;
Et summi invalidum sistent ad limina Phœbi,
Cantantem Musas, vatumque inventa piorum.
Virgilii ante omnes læti hic super astra feremus
Carminibus patriis laudes; decus unde Latinum,
Unde mihi vires, animus mihi ducitur unde:
Primus ut Aoniis Musas deduxerit oris,
Argolicum resonans Romana per oppida carmen;
Ut juvenis Siculas silvis inflârit avenas;
Utque idem, Ausonios animi miseratus agrestes,
Extulerit sacros ruris super æthera honores,
Triptolemi invectus volucri per sidera curru;
Res demum ingressus Romanæ laudis, ad arma
Excierit Latium omne, Phrygumque instruxerit alas,

Verba deo similis: decus a te principe nostrum
Omne, pater; tibi Grajugenum de gente tropæa
Suspendunt Itali vates, tua signa secuti.
Omnis in Elysiis una te Græcia campis
Miraturque, auditque ultro, assurgitque canenti.
Te sine nil nobis pulchrum; omnes ora Latini
In te, oculosque ferunt versi; tua maxima virtus
Omnibus auxilio est; tua libant carmina passim
Assidui, primis & te venerantur ab annis.
Ne tibi quis vatum certaverit; omnia cedant
Sæcla, nec invideant primos tibi laudis honores.
Fortunate operum! tua præstans gloria famæ,
Quo quenquam aspirare nefas, sese extulit alis.
Nil adeo mortale sonas; tibi captus amore
Ipse suos animos, sua munera lætus Apollo
Addidit, ac multa præstantem insigniit arte.
Quodcunque hoc opis, atque artis, nostrique reperti,
Uni grata tibi debet præclara juventus,
Quam docui, & rupis sacræ super ardua duxi,
Dum tua fida lego vestigia, te sequor unum,
O decus Italiæ! lux o clarissima vatum!
Te colimus, tibi serta damus, tibi thura, tibi aras,
Et tibi rite sacrum semper dicemus honorem
Carminibus memores. Salve, sanctissime vates!
Laudibus augeri tua gloria nil potis ultra,
Et nostræ nil vocis eget; nos aspice præsens,
Pectoribusque tuos castis infunde calores
Adveniens, pater; atque animis te te insere nostris.

IOAN. MATTHÆO GIBERTO.

Me me rura juvant mea,
  Optatoque diu perfruor otio,
Per te quod peperi mihi,
  Giberte, o animi sola quies mei;
Pro quo mille adeam neces.
  Nunc æstus vacuum glandifera juvat
Evitare sub ilice;
  Nunc audire Noti murmura garruli
Densas par nemorum comas,
  Haud longe scatebris fontis ab algidi.
Nec me desidiæ tamen,
  Aut tu me argueris turpis inertiæ;
Canto nam modo carmina,
  Ad præscripta modo me sapientium
Emendans, animum colo.
  Princeps te interea detinet urbium
Roma, principibus viris
  Gratum, inter proceres nobilem honoribus.
Suspiras tamen, et doles,
  Fortunam cupiens persimilem meæ;
Mecum ut sæpe negotia
  Urbana, ac varias sollicitudines
Detestaris, & angeris,

Felicemque vocas me ter, & amplius.
Ut verum fatear tibi,
Permutare negem; tu tamen hæc cape,
Hæc solatia amiculi,
Sortem æqua ut levius mente feras tuam.
Sunt mortalibus omnia
Divisa studia, ac munera disparis
Vitæ, ut quisque humeris valet,
Divis cuique suum distribuentibus
Æquo judicio omnibus.
Non fossorve oviumve arbiter horridus
Clavum temperet urbium;
Non, quem templa juvant, curiave, aut forum,
Mulcet divite mercium
Mutator pelagus Carpathium rate.
His tu temporibus datus,
Esses ut patriæ præsidium, ac bonis;
Has natura tibi dedit
Artes; hoc dederint dii studium tibi.
Ten' dices miserum, rogo?
Nec contentus eris sorte tua dolens?
Urbs te magna Quiritium
Mirata est puerum, publica munera
Tractantem graviter diu;
Vix nunc quarta tibi condita olympias,
Regum consiliis tamen
Jamdudum gravibus conscius interes.
Omnes Italiæ angulos
Fecisti meritis jam memores tui;

Omnis jam tibi Gallia,
  Germanusque ferox, funera nil pavens,
Debet, debet atrox Geta,
  Debent Sauromatæque, & Morini ultimi;
Debent instabiles Scythæ,
  Et tellus ubicunque est habitabilis.
Sed nil est quoque, si sapis,
  Quod nostra hæc inhies usque adeo otia.
Ipsi quærimus in dies
  Doctrina studioque hanc sapientiam,
Quam nec forsitan assequi
  Unquam fata dabunt, aut labor irritus.
Hujus tu nihil indiges;
  Fers tecum puer hanc matris ab ubere
Raro munere cœlitum,
  Externaque tibi nulla opus est ope,

IOAN. MATTHÆO GIBERTO.

Hoc est, olorum dulcius ut canant
Giberte, semper, quos senium premit;
  Illisque solis est senectus
    Usque adeo potior juventa.
Non id sacratis vatibus accidit,
Placere cantu Musa quibus dedit;
  His obstat usque obliviosa
    Consiliis melior senectus.

Ubi ligatus sanguis hebet gelu,
Languentque vires, mentem aliæ illico
  Curæ fatigant, suntque semper
    Postera deteriora primis.
Natura rebus, cuique suum, dedit
Tempus, quod ultra non bene progredi est;
  Non semper idem floret annus,
    Aut foliis silüæ virescunt.
Lætis nitorem tristis hiems agris
Aufert procellis, atque gelu potens,
  Nec se recognoscit sepulta, et
    Sub nivibus stupet alma tellus.
Quid? qui ruenti non semel obstitit
Hosti, ut trementem destituit vigor,
  Sedet sacramento solutus,
    Et pueris sua facta narrat.
Tu me tamen vis versibus immori,
Ævo reclamante, et juveni aptius
  Subire discrimen, meamque
    Sollicitans hyemem fatigas.
Né coge, si qua forte nitescimus,
Luci priori inspergere nubila;
  Jam fas Camœnis abdicato
    Sit mihi ponere plectra et artem.
Vos o, quibus vis et vigor integer,
Dum fervet intus laudis adhuc amor,
  Perstate, certatimque læti
    Vela date egregio labori.

Mollem senectam me deceat magis
Traducere intra Socraticam domum,
Dum cogito quæ sit beatis
Post cineres animis voluptas.

EPISTOLA AD EUNDEM.

Scilicet hæc etiam nostrorum summa malorum
Defuerat, Giberte, mea ut tu sola voluptas
Eriperere mihi longinquas missus in oras?
Saltem ego si tecum consors, sociusque laborum
Venissem, non infelix mihi, diisque viderer
Invisus penitus. Tibi si non utilis essem
Consiliis, quando ante alios te maxima Pallas
Edocuit, mentemque aspirat Jupiter altam;
Attamen hæsissem lateri fidissimus unus
Usque tuo, quascunque oras tecum ire paratus.
Ipse ego prima viæ tentare pericula possem,
Perque nives altas vestigia figere primus,
Quæ tuto mox tu quires servare sequendo.
I tamen, et magnis de rebus cominus altos
Pro patria intrepide reges affare, decusque
Tutare Italiæ, libertatemque tuorum;
Teque adeo egregiis clarum fer ad æthera factis.
Interea solis agitans in montibus ævum

Infelix ægrum Musis solabor amorem,
Si te absente tamen venient ad carmina Musæ;
Nec mihi longe abiit tecum irrevocatus Apollo.
Nempe canam semper Medicûm facta ampla tuorum,
Præclaræ decora alta domus, qua sospite nunquam
Italiam amissam, libertatemque fatebor;
Fata licet semper cœptis ingentibus obstent,
Atque ideo Leo mortales modo liquerit auras,
Ereptus mediis (sic dii voluere) triumphis.
Invidit libertatem fors læva ruenti
Italiæ, invidit partum decus; omnis in illo
Spes pene extincta, et moriens secum omnia vertit.
Tu tamen interea tanto, Giberte, dolori,
Tam justo parce O! gemitu, et mortalia tecum
Versa animo, cautusque viæ te crede periclis,
Nec tibi tam vilis vitæ sit facta cupido.
Forsitan et, si qua est benefactis gratia, et usquam
Præmia sunt laudi sua, reges advena amicos
Invenies, tua magna quibus notissima virtus.
Ne tamen o! dulcem Ausoniam regionibus ullis
Posthabeas, caram neve obliviscere Romam:
Rumpe moras omnes, et caris reddere amicis.
Ipse tuum exspectans reditum his in montibus aras
Muneribus cumulo magnis, Nymphasque precatus
Omnibus intacto voveo de flore coronas.
O! illum mihi si concedant cernere amica
Astra diem, cum tu extremis mihi redditus oris,
Narrabis moresque hominum, diversa locorumque
Ingenia, atque exhausta viæ quæcunque pericla.

Si vero ante tuos reditus me corpore fata
Exsolvent isto, fert ut præsaga mihi mens,
Dum desiderio, magnoque absentis amore
Tabescens, longum nequeo perferre dolorem,
Tecum erit hæc anima, et passim te amica sequetur
Perque nives altas, perque aspera frigora Rheni:
Sic saltem tua me tunc cernere facta juvabit.
Tu demum rediens nostrum si forte sepulcrum
Aspicies, præter penitus non immemor ibis.
Non lacrimas (neque enim tanti mea funera) posco;
Mi sat erit, tacito tecum si pectore dices;
Et nostri non est expers hic pulvis amoris.
Tum mihi terra levis, placida tum in morte quiescam.

NICOLAI ARCHII

POEMATA.

AD VERONICAM CORRIGIÆ DOMINAM.

O DIVA, blandæ quæ citharæ potes
Mulcere junctis carminibus feras,
Cui tantum inaccessos recessus
Pieridum penetrare fas est;
Non te tacebunt invida sæcula
Vivam, nec atris nox tenebris premet
Post fata; at æternum virenti
Fronde comam religata vives.
Vives; sonora Fama canet tuba
Dotes honesti pectoris, & bona
Queis tam nites præclara, quam orbe
Sol nitidus sine nube opaca.
Vulgabit, ut tu cælibe secubes
Contenta lecto; ut Pallados artibus
Exculta sacris, nil nisi altum,
Nil nisi te meditere dignum.

Mox ut triumphum dicere Cæsaris
Aggressa, Melæ ad flumina patrii,
Et templa et immanes columnas
Cæsareis onerès tropæis.
Hæc condat altis pyramidum jugis
Moles caducas; hæc Babylonios
Instauret incassum labores,
Mole sua ruitura tecta;
Sit quæ securi certet Amazonum
Dorso fugacis vecta super feri,
Aut cursu inhumanos fatiget
Marmaridum in silvis leones.
At tu perennes fertilis ingeni
Vena fluenti fundis opes tui:
Tu casta Musarum sacerdos
Ex adytis numeros reportas.
Quid jam moraris cingere duplici
Frontem corona? quando etiam tui es
Victrix, triumphatosque sensus
Subjicis, et ratione frenas?
Erroris expers, fraudis et inscia,
Vulgum, et protervas invidiæ minas,
Terrasque despectas jacentes,
Alta petens rapido volatu:
Regina qualis cum volat altum
Vicina cœlo nubila dividens,
Nec curat insanam furentis
Vim Boreæ, nec Apeliotæ.

DE REDITU CLESII CARDINALIS.

Clesius externo nobis quod redditur orbe,
Diis grates referamus, amici.
Nunc decet innumeris cumulare altaria donis
Et Syrios adolere liquores.
Absint tristitiæ et pungentes pectora curæ,
Quicquid et est animo molestum.
Ingeminent choreas Nymphæ sub nocte serena:
Nos pateris certemus ovantes.
Desipere est mihi dulce; severi ignoscite vates,
Si numeris sine lege vagabor.
Liberiora decet nunc solvere vota Lyæo,
Ob reducem patriæ patronum;
Qui redit Arctoas Reges comitatus in oras,
Qua Rhenus secat arva bicornis:
Cujus consilio dederunt bona numina terris
Nec majus graviusve quicquam.
Ille redit qui tuta meis facit otia Musis.
Nunc Sarcæ prope littus amœnum,
Dum nitidi fulgent soles, dum vere tepenti
Auricomum caput exserit arbos,
Aut Ferdinandi fractos virtute Gelonos,
Quique bibunt tumidum Coaspem,
Aut partam Italiæ referam post tristia bella
Cæsaris auspiciis quietem.

Arma etiam qui nunc Arabas meditatus in hostes,
Delectos ita fatur amicos:
Ibimus, o proceres; tellus sacra nos manet, et nos
Turrigeræ Babylonis arces.
Illic immensos pro Relligione labores
Ferre mari terraque decorum est;
Illic victrices aquilas et ponere signa
Est animus, superis secundis.

AD CHRISTOPHORUM MADRUTIUM.

ANTISTITEM TRIDENTINUM.

Magne Madruti, venerande pastor,
Ne gregem, ne nos miseros relinque;
Nec tibi tanti sit adire magni
Nominis Histrum;
Cœlum ubi æternis nivibus rigescit,
Atque hiems informis aquas ab atra
Nube dissolvit, furit æstuoso
Sidere Orion.
Cæsares quamvis adeas, et orbis
Lumina, exoptant tua qui videre
Ora, queis plausu excipiere, multo
Non sine honore;

Non tamen cari fugiat popelli
Cura, quem nutu moderaris, et jam
Legibus sanctis renovas, sacroque
Nectare pascis.
Te sine, insano trepidant tumultu
Tesqua; tu pressens pecudes inermes
Ore defendis rabido luporum, ar-
mentaque servas.

AD EUNDEM.

Debeo, Madruti, vitam quam denique vivo
Ipse tibi, aut si quid vita mihi carius ipsa;
Quod mihi pauperiem misero curasque levare,
Afflictisque modum voluisti imponere rebus;
Quod mihi restituis dilecti templa Lomassi,
Ruraque, collesque, et piscosi flumina Dalli.
Hic per te dulces licet excoluisse Camænas,
Et quandoque animum gravioribus applicuisse
Intentum studiis; per te mihi nôsse latentes
Naturæ causas datur, et percurrere cœlum.
Ergo hic arbutea multo post tempore in umbra
Vitabo æstivum sub iniquo sidere solem,
Grata ubi vicinis spirat de vallibus aura
Ad sacros latices, ad sacri numina fontis,
Lenis ubi Zephyrus crepitantes percutit alnos,

Invitans placidum jucundo murmure somnum.
Aut cum se autumnus pomosis efferet arvis,
Purpuream ostentans ramis canentibus uvam,
Poma feram calathis et viminea fiscella;
Munera parva quidem, ast animum testantia magnum.
Mox ubi tristis hiems nubes depascet aquosas,
Per juga Mysonis summi, mala frigora lignis
Fagineis, quernisque nives superare licebit,
Annosoque mero, quod rura Droentia donant,
Et collus et vitiferi juga parva Clarani.
Vere novo ad volucrum cantus aderis, nova proles
Musarum: tibi mille feram de more coronas
Emeritas lauri; has intexam flore recenti,
Pallenti vicia, calthaque, et suavibus herbis,
Quas montes, quas sufficiunt pro tempore prata.
Ipse ego sacra feram pro te; te semper ad aras
Et memorare volim; nec me meminisse pigebit.
Tunc Volaterranus, juvenum flos quotquot amoena
Arnus aqua rigat, assuetos cantabit amores
Tuscis sæpe modis, Romana sæpe Thalia;
Et modo Aristotelis præclara volumina volvet,
Concilians illi divina mente Platonem.
Nec non Arcitenens aderit, qui numinis instar
Te colit; hic mixtus Faunis tibi carmina culta
Afferet, Archensi revocans de vertice Musas
Olim intermissas: nam quis tibi ferre recuset
Carmina tam claro juveni? qui moribus aureis
Germanos inter proceres, pubemque Latinam,
Eluces veluti inter stellas luna minores.

NÆNIA DE MORTE MATRIS.

Et merito has lacrimas, hos spargo veris honores,
Cara, tui, Genetrix, dignissima præmia partus,
Muneraque extremis nunc exsequor annua votis,
Maternam sacris veneratus honoribus umbram.
Alter ab octavo undecimoque revolvitur annus,
Cum tua marmoreo sunt ossa repôsta sepulcro.
Illa tempestate meæ nutricis alebar
Complexu in molli, me tertia viderat æstas
Vix bene firmantem gressum, & blæso ore loquentem,
Cum te pallida Mors tenebris involvit opacis,
Injecitque manum viridi sub flore juventæ.
Vidi ego cum tristi procederet ordine pompa,
Horrenda extremum caneret cum voce sacerdos,
Ingentis turbæ gemitus; nam turba gemebat
Subjecti populi, et fatum damnabat avarum,
Justitia et placida vivens quam pace fovebas.
Tunc parvi flebant fratres, passisque capillis
Pectora tundebant fletu madidæ ora sorores;
Quarum etiam silvas reor ingemuisse dolore.
Attonitus visu immani agnovisse videbar
Ipse nefas, querulis implens vagitibus auras
Nutricis gremio; tunc illa nocte papillas
(Sedula namque olim mihi rettulit omnia nutrix)
Non ego libavi, digitis non ubera pressi.
Seu natura, aliud seu quid divinitus esset,

Tantum præsago suspiria corde trahebam,
Hærebamque genis pendens nutricis amatæ;
Quæ mihi linteolo madidos dum tergit ocellos,
Singultusque ciet, trepidantem ad pectora pressit,
Et, Taceas, mellite puer, puer optime, dixit;
Mater enim spirat; mors illi sæva pepercit:
Rus abiit, dixitque mihi, Cito læta redibo.
At postquam surgente efferri sole cadaver
Cœperat, et toto sonuerunt æthere planctus,
Ipse pater gemitu circum atria longa sonabat,
Ipse pater querulis implebat vocibus auras,
Quantum fecisset jacturæ mente revolvens,
Quamque minaretur domus inclinata ruinam
Te sine; vixque potest tantum perferre dolorem.
Crudeles superos testatus et impia fata,
Optavit certæ quoties occumbere morti!
Ut fuit in votis nihil illi optatius unquam!
Sed revocant animos nati, solantur et ægrum
Impliciti collo: curas modo ponit inanes,
Et modo conquestus cara pro conjuge rapta
Integrat incœptos luctus; virtusque recursat,
Nobilitasque animo; et tanti matrona pudoris
Fixa manet menti, et fovet insanabile vulnus.
Sola domus mœret, plangunt tua funera matres,
Quas Athesis rigat & sinuoso Sarca reflexu.
Sarca illo (ut fama est) dum tempore fertur in alveum
Benaci, Nymphas turbavit sedibus imis,
Signavitque undis turbatum albentibus æquor.
At soboles tua mœsta ferit socio æthera luctu:
Non aliter quam cum percussit arundine pastor

Servantem nidum volucrem, quæ fixa repente
Ad terram cadit, et natos vitamque relinquit;
Inscia progenies stupet, et jam vespere sero
Implumis matrem e pastu, prædamque moratur
Ore avido, et rostro nequicquam clamat aperto.
Præcipue infelix ego te per tecta vocabam
Ut poteram, balba interrumpens verba loquela.
Nam mihi fingebas lusus, et grata canebas
Ad cunas, blandum invitabas voce soporem;
Tu flores intertexens, et mixta corollis
Lilia, puniceaque rosa, rubroque hyacintho
Ornabas caput, et fulgentia tempora sertis;
Nectebasque meo ramosa coralia collo.
Nonnunquam flenti arridens blandiris alumno;
Ubere nonnunquam exserto perfundis ocellos.
Te modo fingis amum, simulata et imagine terres,
Dum cohibes flentem falsæ formidine formæ.
Heu matris sortem et nati infelicis acerbam!
Tunc mihi te rapuit fatum, cum solvere justa,
Nec matris fugientem animam excipere ore liceret,
Oscula nec pia ferre genis, nec more parentum
Claudere languentes oculos, aut dicere amato
Extremum ore Vale, meritosque intendere honores
Manibus. At mihi nunc liceat lustrare quotannis
Thure sacro tumulum, et Syrios adolere liquores,
Acceptæ ingratus quocunque in tempore vitæ
Ne ferar, officii aut materni oblitus amoris.
Nam te (sic certum est) dum vivam, oblivio nulla,
Nulla dies memori servatam pectore vellet.

AD CAPILUPOS, PRETUM, ET MARNIUM.

Quid ruri facitis, boni sodales?
Quæ vos causa tenet diu morantes,
Lupi candidi utrique, amati utrique,
Marne, Preteque amabiles utrique?
Jam sævus Canis ardor æstuosæ
Defervet, neque frigus est opacum
Captandum amplius arborum sub umbra;
Et jam frigida nox, diesque cœlo
Breves præcipitant: redite in urbem,
Et mecum Bromio et jocis vacate,
Et mecum studiis vacate honestis;
Nam tempus monet, otio beato
Frui, dum licet; et Juventa cursu
Veloci fugiens ait: Valete,
Insani juvenes; procul recedo.
A tergo insequitur gravis Senectus,
Et Mortis comes, et comes malorum.

AD CAMILLUM CAPILUPUM.

Ergo, Camille, patrii decus soli
Tuos relinquis ipse sic amiculos?

Præponis ipse rura sic sodalibus?
Ergo antefertur albulis puellulis
Calore solis usta Thestylis genas?
Rura infaceta præferuntur urbibus?
Præque amne sacro Mincii Ollius placet,
Et qui palude Tartar exserit caput?
Jam jam expeditæ adeste, adeste sarcinæ,
Libelli adeste, quotquot estis, aurei,
Curas levare qui soletis anxias;
Nugis refertæ adeste capsulæ meis;
Nil me hic juvat morari; abire me juvat,
Camillo eunte. Vos valete, candidi,
Sincere amati amore perditissimo,
Gonsaga, Prete, Strozza, Læli, amabiles:
Vale, mi amate Minci, amata Mantua,
Meisque Theja dicta versibus Venus;
Tu Capriana, salve, aprica collibus,
Silvis opaca, et hospita arborum comis;
Benace, salve. Ut lætus ipse gestio
Odora citri germinantis halitu,
Amœna lintre pervolare littora!
Fors et salutans te, Brione buxifer,
Inter superba montium cacumina,
Diu relicta adibo tecta patriæ;
Donec hiems nivosa me coegerit,
Cohorsque docta Mantuam revisere.

PROSOPOPŒIA RHODOMONTIS

AD LYSAM CONJUGEM.

Desine me, Lysa, assiduis urgere querelis,
Nec profectura voce ciere deos;
Parce incompositos patrio de more capillos
Scindere, et immeritas ungue notare genas.
Indignum est mœrore sequi Rhodomonta, nefasque
Imperia et leges increpuisse deûm;
Cum mea præreptæ compenset tempora vitæ
Gloria, sitque annis longior innumeris.
Me doctæ poterunt nusquam non dicere chartæ,
Nullaque non ætas ferre per ora virûm.
Longa dies cineres absumit et ossa sepulcris;
Clara sed Heroum facta abolere nequit.
Si tamen exoptas placidos requiescere manes,
Neu vager incertis sedibus umbra nocens;
Si neque communes læsi vivens hymenæos,
Mutua nos postquam junxit amore fides;
Effice ne primo quisquam potiatur amore,
Occupet aut casti regna secunda tori.
Ut tua fax nostro primum est accensa calore,
Vivat ad extremos sic tua flamma rogos.

Evadne exemplo tibi sit, sit Laodamia,
Utraque inexstinctæ fama pudicitiæ;
Ardorisque tui specimen sit regia conjux,
Quæ potuit cineres ebibere ore viri;
Illius æterno devinctæ lumina somno,
Egregium vivax fama recenset opus.
Nec tamen ut moriare precor, neque, Lysa, dolore
Victa, maritali præcipitere rogo;
Te cupio erepti cura exardere mariti,
Et tantum viduo secubuisse toro.
Difficile est; verum efficies, licet ipsa juventæ
Lætaque formosi tempora veris agas.
Aspice ut exosa est alias Victoria tædas,
Gentis et una tuæ gloria Parthenopes;
Ut magni manes veneratur casta mariti,
Ut famæ æterna consecrat historia.
Invicto felix Victoria digna marito:
Non alia ille Heros conjuge dignus erat.
Hæc volui dixisse olim; sed tenuia Parcæ
Deducta instabant rumpere fila colo.
Ter volui mandâsse tibi, ter frigida lingua
Substitit; et gravius id quoque morte fuit.
Dum potui tamen, ipse tuos moribundus ocellos
Aspexi, et lacrimis ora rigata piis.
Nec dolui, ante diem spoliari lumine vitæ,
Sedibus aut patriis occubuisse procul;
Nec gemui patris ærumnas, fratrisve querelas,
Qui raptis de tot fratribus unus adest;
Non aviæ, vidit quæ funera acerba nepotum,
Et potuit tantis consenuisse malis;

Tam subito indolui divelli a corpore amato,
Tam subito a cara conjuge abesse mea;
Pro qua tot pugnata mihi sunt prœlia; quæ me
Præposuit magnis sollicitata procis.
Quam cito mora nostri fructum intercepit amoris!
Quam cito me optato sustulit e gremio!
Ut nubes cœlo quæ candida ludit aperto,
Vere novo, Zephyri tuta favore volat:
Illa supervehitur terras, illa aëre pendet
Composito, atque humeros ardua pascit Athos:
Mox alii atque alii flantes animosius Euri
Hanc glomerantque, rotantque, æthera perque ferunt;
Et modo præcipiti gyro, modo turbine fertur,
Et raptim in ventos solvitur aëreos:
Sic mea vota, et spes evanuit omnis in auras,
Irrita, et Ioniis scripta natavit aquis.
Optabam hibernas tecum traducere noctes,
Horrida post duræ tempora militiæ;
Optabam exhaustos tecum conferre labores,
Et Tusca auspiciis oppida capta meis;
Ut virtute mea, atque ausis felicibus Ancon
Clementis magni cesserit imperio;
Utque triumphatis rediissem mœnibus Arri,
Quæ modo victori causa fuere necis;
Utque animo infractus longe majora pararem,
Extremos bello tendere in Æthiopas;
Atque illic nomen factis protendere clarum,
Justaque magnanimi Cæsaris arma sequi.

Certum erat Æmoniis tentoria figere campis,
Et Marte indomitos perdomuisse Scythas;
Aurato e solio dejectum extrudere Regem,
Aut urbes captum ducere ad Ausonias.
Tecum intermissas meditabar visere Musas,
Aptare et Lyricis carmina Tusca modis.
Carmina nam recolo, quæ, dum fera classica cessant,
Lusi Pieridum non renuente choro.
Nec Phœbea minus colui quam Martia signa;
Utraque et hinc meritis laurea parta meis.
Sed quid profuerunt vota hæc? si vulnus adactum est
Lethale, et victa fulmen ab arce venit?
Scilicet egregiis hominum Mors invidet orsis,
Odit nescio quis grandia cœpta deus.
Sic raperis, prima Memnon fraudate juventa,
Sole coloratos dum subigis populos;
Sic necis impavidos sequeris dum, Druse, Suëvos,
Et matri et patriæ tristia fata refers;
Florentes ætate ambo et præstantibus ausis;
At non humani funeris una via est:
Quippe meo Marcus fato, atque Trivultius olim,
Illustresque armis tot cecidere duces;
Gallica cum Ticinus transfixa cadavera volvens,
In mare purpureis territus iret aquis.
Sic Medices heros gentis, dum Rhætica vexat
Agmina, littoribus concidit Eridani;
Sic cecidit Romæ muro dejectus ab alto,
Dux nostro genitus sanguine, Martis honos;
Nec fuit indignum, his etiam Rhodomonta sub armis
Pro re Romana non dubitâsse mori;

Signa pilis postquam mihi sunt fulgentia senis
Aurea supremo tradita Pontifice.
Quæ licet attulerint pulchræ solatia morti,
Mors sit ut hæc factis altera vita meis;
Hoc tamen æternum est casu vel acerbius omni,
Nondum æquâsse animis facta superba meis.
Viribus haud aliis poteram cecidisse; nec ulla
Agmina se audebant obvia ferre mihi.
Devoveo, quicunque igitur mala sulphura nitro
Miscuit, et vacuo clausit in ære pilam;
Dignior inventa primus qui mugiat arte,
Et penset proprio damna aliena malo.
Militiæ ut veteris morem corrupit! ut ille
Et belli virtutem abstulit atque virûm!
Quam melius quondam gladio pugnabat acuto,
Conspicuusque hasta cominus ibat eques!
Ibat eques, campoque hostem exspectabat aperto,
Nec quicquam ille doli quod metuisset, erat!
Regia prospectans virgo de turribus altis,
Huic uni optabat posse placere viro.
Mos erat hic bellare viris; mos ille probandus,
Dum sine fraude juvat conseruisse manus.
At nunc tacta ruunt furtivo corpora plumbo;
Vix oculis ignem percipis, acta pila est.
Non curat clypeum, non umbonem horrida grando;
Effugiunt medicas vulnera tætra manus.
His mea, Mavorti vel cedere nescia, virtus
Occultis hominum decidit insidiis;
Quam nec ferri acies potuit, nec Noricus ensis
Lædere, nec valida tela retorta manu.

Quæ superest igitur rapti genitoris imago,
In te omnis quoniam spes, Pater alme, sita est,
Alme Pater, præsens terris qui numen haberis;
Si tanti emerui numinis officium;
Sic fidei commissa tuæ, tibi credita surgat,
Dedita & usque tuis serviat imperiis.
Te decet in sobolem patris transferre favorem;
Illa tibi referat meque meamque domum.
Nec minor accedat nati, quam cura pudoris,
Lysa; tuum cœlo nomen uterque feret.
Subjiciat sese maternæ parvulus umbræ;
Rideat ad matris oscula dulce puer;
Colludatque tibi, et curas levet ille molestas;
Tecum incorrupto dormiat in thalamo.
Donec vernanti succrescens flore juventæ
Proroget antiquum stirpe novetque genus.
Assuescat victor patriis animosus in armis
Præferre exuvias et spolia ampla domum.
Acer eques Parthos eat, et pedes acer, in hostes;
Nôrit et æque æstus ac tolerare nives,
Quodque meis interceptum est florentibus annis,
Virtute atque annis expleat ille suis.
Tu ne hæc vana putes insomnia, neu fallacem
Umbram nocturnis ludere imaginibus;
Ipsa tibi advenio nemorum de sede beata,
Quæ loca magnanimi, semideique, colunt.
Me lacrimæ huc egere tuæ: jam comprime luctum;
Mandata hæc luctus, Lysa, levamen habe.
Sit tibi amâsse satis, cineri sat justa dedisse,
Sat pro me superis vota tulisse deis.

Jamque vale; cogor socios invisere manes,
Et matutinis cedere sideribus.
Exserit Oceano jam vultum Aurora rubentem,
Invisis jam me Lucifer afflat equis.
At tu in amore meo sic perstes, Lysa, fidelis,
Ut te etiam stabili prosequor umbra fide.

HIPPOLYTI CAPILUPI

POEMATA.

AD JULIUM FELTRIUM,

URBINATEM CARDINALEM.

O Nate regum robore fortium,
Quid, Jule, ruri tempora conteris?
Non prata vernant, nec salubres
Nunc Zephyri volitant per auras.
Non falce fruges agricolæ metunt,
Quas terra magno fœnore reddidit,
Nec præbet autumnus racemos,
Bacche, tuum, generose, munus;
Quin linquit agros, atque hiemem fugit
Turpem atque inertem; tu simul aufuge,
Viamque mutatis vorato
Vectus equis celerive curru:

Et te suëtis redde negotiis,
e digna curans; jam satis otio
Mentem levâsti, jam laborum
Illa feret recreata pondus.
Gonzaga, qui te diligit unice,
Vinclo coactus sanguinis, et tua
Virtute victus, te trahentem
Increpat usque moras et usque;
Et Borromæus, cui merito Pius
Arcana credit digna silentio,
Rerumque habenas dat regendas,
Te precibus revocat morantem.
Jam linque campos, qui glacie rigent,
Squalent et Euri flatibus horridi,
Romamque præclaram triumphis,
Ver ubi perpetuum, redito.
Illam revises mœnibus et viis,
Divûmque templis, atque palatiis
Auctam superbis, quæ fuere
Structa Pii et decorata sumptu;
Illamque cernes legibus aureis
Nunc constitutis tollere verticem;
O nos beatos ter quaterque,
Quos Pius et Medicus gubernat!
Non alter illo justius imperat,
Nec sol quid illo mitius aspicit,
Seu promit ex undis Eois,
Sive diem Hesperiis recondit.

Quid jam moraris? hic quoque te jubet
Ad se reverti; non tibi temnere
Fas jussa patris, cui superne
Clave datum est reserare Olympum.
E rure multas delicias licet,
Curisque liber gaudia colligas,
Ex urbe Roma non minores
Percipies, mihi crede, fructus.
Si dulce ruri est nunc tibi devio
Sub solis ortus aut merulam, aut gruem,
Vidisse, vel turdos edaces
Retibus implicitos dolosis;
At suave Romæ purpureo tibi
Fulgore claro, cernere plurimos,
Quos spes fefellerunt honorum,
Non secus ac laquei volucres.
Nec te pigebit, qui innumeris bonos,
Virtuti amicus, muneribus beas,
Spectare, qui, pisces ut hamo,
Sic avidi capiuntur auro;
Et te juvabit, qui placidum tenes
Portum, periclis jam procul omnibus,
Videre, quos fallacis aulæ
Aura vehit rapidas per undas.
Spectacla prosunt talia, quæ docent,
Quam sint inanes spes hominum, suas
Qui res ab omni parte iniqua
Hujus in arbitrio locârunt.

AD ROMAM.

Ergo ego, qui a puero tot jam fugientibus annis,
Roma, tuo in gremio, rerum pulcherrima, vixi,
Jam senior nunquam posthac te lumine cernam?
Ergo ego, Tibri pater, patrio mihi carior amne,
Qui me post curas et multa negotia lassum
Sæpe tuo leni recreâsti murmure, et unda,
Nostra tuis nunquam ponam vestigia ripis,
Vitam ubi fingebam mihi fesso ætate beatam;
Nec vos, o septem colles, hortique, revisam?
In quibus ipse tener collegi sæpe nitentes
Rore rosas, fecique novo de flore corollas,
Pigra gelu et squalens alibi cum terra rigeret.
Non ager Assyrius vobis contendat odore,
Parthenopeque suis cedat bene olentibus herbis,
Ver proprios quando vobis concessit honores.
Nec vestris fruar, o dulces ante omnia amici,
Amplius alloquiis? quibus olim incommoda nostræ
Speravi demens leniri posse senectæ.
O fortuna potens, ut nos spe ludis inani,
Cunctaque veloces, si vis, mutantur in horas.
Afer et Hyrcanus Romam colit, et colit Indus,
Quique bibit Tanaim, quem sæva Britannia partu
Edidit, et Tauri qui natus vertice montis;
At nos, quos utero mitis tulit Itala tellus,

Sedula quos veluti nutrix modo Roma fovebat,
Principibusque viris caros, nullique molestos,
Cogimur heu miseri obscuris nunc vivere in oris.
Omnia præ Roma loca consita nocte videntur.
Nec vos, o Thermæ, nec vos, Capitolia, et alta
Templa deûm, nec vos, æquata palatia cœlo,
Visere jam possum, sparsus nunc tempora canis;
Quæ toties ego sum primis ingressus ab annis,
Et semper colui et suspexi, vester alumnus,
Munereque insignis vestro, et decoratus honore.
Nec tua, sancte Pater, quæ nunc struis ampla theatra
Metiri licet his oculis, nec monte salubrem
Quam deducis aquam, nec sacras quas pius ædes
Ponis, et exornas fulgenti marmore et auro.
Mœnia quid referam quibus Urbem providus auges,
Et quibus illa feros hostes circumdata temnit?
Quidve Piam memorem portam? quid strata viarum;
Quid decora, usque tuis quæ sumptibus adjicis aulæ?
Me miserum! mihi si nunquam fas ista videre,
Æternumque tua cogor, Pie, luce carere,
Et Roma, præter solitum quæ pulchra renidet,
Illa tuis radiis, Patrum et perfusa nitore,
Quos virtus cumulat donis, atque induit ostro,
Emicat, atque urbes superat vi luminis omnes,
Sint licet illustres studiis, armisve superbæ;
Aurea sic Phœbi restinguit sidera fulgor.
Nos igitur, procul a Roma caligine mersi,
Ut lucem reddas, humili te voce precamur.
Ipse, tuo sancto aspectu recreatus, et urbis,
Si mihi permittes pedibus procumbere sacris,

Intexam præclara meo tua facta libello,
Ni renuis parvo deducta poemata versu.
Fortior et rediens huc nostro munere fungar,
Assidue pascens, et curans pervigil agnos,
Quos olim tua commisit mihi magna potestas,
Cum Deus in summa merito te sede locavit.

AD ANTONIUM JANNOTTUM,

EPISCOPUM FORLIVIENSEM.

Jannotte, nullus quo mihi jucundior,
Qui temperare acerbitatem temporum
Tuo lepore et suavitate es efficax,
Fixasque curas mente amici avellere,
Jam me revise; quid moraris amplius?
Siccæ recessit stella jam Caniculæ,
Et blanda mordent leniter nos frigora;
Nec pulvere ullo sordida aut luto est via,
At pulchra et ampla; parsque adhuc virentibus
Obtecta quercus hic et illic frondibus;
Nec obstat ipse, cui libens obtemperas,
Iulus, urbis lumen, atque orbis decus,
Quin te relaxes occupationibus,
Ut nostri amoris perfruamur fructibus.

Ni me revises, jam furentem senties,
Passim et replentem voce campos horrida,
Velut leonem, qui catello mitior
Ludit Pisauri cum puerulis, et silet,
Vinclisque liber ferreis et carcere,
Non figit ullum dente duro aut unguibus,
At derelictus solus a turba fremit,
Caudaque terram sæpius ferit ferox,
Irarum et æstu concitatus perfurit.
Amariorem non senectus me facit,
At ipsa solitudo, qua nil tristius
Effudit una, quæ intulit mortalibus,
Quicunque tentant nostra morbos corpora.
Hic elegantes sint licet multi viri,
Et litterati et præditi virtutibus,
Queis cum libenter temporis partem tero
Sermone dulci, non tamen sic intimus
Nobis eorum quisquam, ut illi credere
Alta latentes mente sensus audeam ;
Hoc esse videor mancus et solus mihi.
At arcta nostri sic amoris vincula,
Quæ nos peractis quinque lustris vinciunt,
Tuique mores sic meis consentiunt,
Ut unus ipse turba mî sis maxima,
Vitamque tecum dulce sit traducere,
Tibique nostro corde pressa pandere.
Quid in secundis est amico suavius,
Qui cum jocari, et perfrui possis bonis?
Quid rebus illo in asperis optatius,
Qui æque dolendo te dolentem leniat,

Tibique curas comitate exhauriat?
Exoptet alius plena farris horrea,
Et mille septus ambulet clientibus,
Magnisque rerum copiis circumfluat
Auro et smaragdis impeditus tempora;
Jannotte, tecum sit mihi fas vivere,
Seu rure læto in otio, seu turbidos
Inter tumultus urbis in negotiis.
Ubique nobis suavitatis plurimum
Affert vetustas nostri amoris mutui,
Et acta vita puriter procul dolis;
Et usque risus parte ab omni quærimus
Jocis severa condientes et sale,
Novique semper causa nobis gaudii est
Rerum memoria, quas simul tractavimus,
Nec non laborum, quos simul subivimus,
Jactati ab aulæ sæpe nigro turbine,
Dum vecti eadem puppe in altum tendimus.

AD JO. FRANCISCUM PASQUALIUM.

Amice candide et mihi carissime,
Quem sum fidelem expertus in periculis,
Meisque rebus prosperis dulcissimum,
Mihi videris omnibus beatior
Quicunque in urbe, Pasqualine, vivimus.
Præsens et acta vita cognita est tua,

Tuique sensus non mihi reconditi;
Vixisti honestis semper in negotiis
Prudens apertusque, ut virum probum decet,
Nec ulli acerbus, aut molestus, aut gravis;
At nunc solutus omnibus curis, tibi
Vivis, nec aurum te aut honores detinent,
Quos obtulere sponte amici et sæpius,
Quin destinatum persequaris otium.
Recte beatum parte ab omni te puto,
Nam mortis inclementiæ non immemor,
Quæ dura nos vel oscitantes opprimit,
Fræno et catena spiritum domas tuum,
Nec ampliare rem laboras amplius;
Sed quod parâsti, eo libenter uteris.
Non te catinum lucidum magis vitro,
Salisve puri pulchra concha deficit,
Nec te minister, qui salubres colligat
Herbas, et arte non suëta condiat;
Tibique mensa strata semper floribus
Ridet nitetque, ut prata verno tempore.
Jactatque odores hinc et hinc suavissimos;
Nec vina desunt poculis spumantibus,
Quæ lassa possunt recreare corpora;
Abest nec hœdus, nec canistra dulcibus
Repleta pomis, quæ dat arbor fertilis.
Hoc apparatu sæpe amicos accipis,
Quorum lepore captus oblivisceris.
Quæcunque nobis vita fert incommoda.
Nec æqua mens in asperis rebus tibi,
Nec deest secundis; hæc quietis est caput,

Hæc te beatis regibus parem facit;
Tu semper idem, sive te furentibus
Impelli ab Euris huc et illuc cernimus,
Seu tutum ab atro turbine, ævum degere.

AD FEDERICUM PENDASIUM.

Pendasi, amicis omnibus carissime,
Quid usque libris involutas nunc agis?
Causasne rerum in luce clara collocas
Scriptis, opaca nube nobis abditas?
An sidera extra mente tendis altius,
Scrutans sacrata pervigil volumina?
Mihi relatum est te polire pumice
Quendam libellum, quem diebus proximis
Fecisti et arte et ingeni vi maxima.
Mirum nec olli; nam perennes evomat
Cur Ætna flammas noscis, et quo fulmina
Pacto creata ex aere cœli decidant,
Et unde flabris veiet Auster æquora,
Suisque pontes finibus non exeat;
Nec quidquam in atra condidit caligine
Natura rerum, quin tibi sit cognitum,
Possisque verbis explicare candidis,
Seu vis Latinis, sive mavis patriis.

His te decorum et præditum virtutibus
Mirantur omnes, et beatum existimant.
At mî videris esse divis proximus,
Chorisque eorum jure dignus inseri,
Quod nullus auri pondere aut honoribus
A recto et æquo te potest deducere ;
Quod tu timore mortis, ipso a tramite
Virtutis unquam non recedis avius ;
Quod omnibus sis dulcis atque amabilis
Tuo lepore, et comitate, et moribus.
Hæc illa virtus, quæ me amicum reddidit
Tibi, facitque ut unice te diligam,
Optemque tecum vivere, ut tuæ fruar
Mentis nitore, et aureis sententiis,
Quas fundis ore, in quo repletæ floribus
Puroque rore mella construunt apes.
O me beatum, si mihi fas leniter,
Quod restat ævi, tecum amice degere !
Sed ipsa quando nunc meis necessitas
Adversa votis me tenet, quin advolem
Ad te repente, sis mei non immemor,
Mihique amore, quod facis, respondeas ;
Vivasque felix cum tuorum copia
Librorum, amici qui tibi sunt optimi ;
Tuisque sæpe me revises litteris,
Quibus mihi esse nil potest jucundius.

AD BERNARDINUM TILESIUM.

Quamvis lacessam plurimis te epistolis,
Mittamque pignus nostri amoris carmina,
Tamen remittis litteras nullas mihi,
Tuo nec ullus me salutat nomine.
Quid hoc sibi vult, dic mihi, silentium?
Calorne pigrum te Leonis fervidi,
Et Sirii æstus oscitantem reddidit?
An te in paternam contulisti villulam,
Ut acquiescas in tuorum amplexibus,
Quo pervenire, qui tabellas afferunt,
Et diligentes et fideles nesciunt?
An quæris usque et usque rerum absconditas
Causas tenebris perspicaci acumine?
Tibique nullam das quietem, insaniens
Amore laudis, atque amiculi immemor,
Quo cum libenter dictitabas vivere?
Tuone nostri decidere pectore
Joci, salesque, et ambulatiunculæ,
Lætique risus? queis solebas perfrui,
Libris remittens nuntium, et negotiis.
Virtus, refulges qua velut sol aureus,
Quam non vetustas ipsa, non oblivio
Delebit unquam, mente nostra permanet
Repôsta, et imis in medullis insidet.

Quid ergo mirum, cum mihi sis cognitus,
Nec te sit ullus carior, nec dulcior,
Si nunc laboro scire, quid rerum geras?
Nos inter æquus constitutus arbiter
Me posse jure flagitare litteras
A te, Tilesi, sentiet; quarum, precor,
Fac crebritate tarditatem sarcias,
Seu Græca versas pervigil volumina,
Seu te a labore sevocat canicula,
Captasque frigus ad sacri fontis caput:
Seu te lepore et temperatis moribus
Suis benignus Gallius Romæ tenet;
Cui dic salutem plurimam verbis meis.

AD PAULUM MANUTIUM.

Canas, Manuti, jam senex receptui,
Librosque amicos colligas tandem tuos;
Cumque iis paternæ villulæ optato in sinu,
Uxore casta et filiis carissimis
Septus, perenni perfruare gloria,
Quam comparâsti dulcibus laboribus
In officina et arte, Marci Tullii
Sermoneque educatus, et sententiis.
Tu de tenebris eruisti plurima

Confecta turpi jam situ volumina
Vatum priorum, et reddidisti pristinum
Illis nitorem pumice, et verum decus;
Quæ mox, parentis optimi vestigia
Secutus, edidisti, ut iis e fontibus
Possimus omnes dicta prisco sumere
Lepore tincta, haurire et artes aureas.
Hoc te liquore nutrierunt parvulum
Musæ elegantes, nutriuntque nunc senem;
Quo tu refertus melle dulci dulcius
Effingis, ore quod diserto concinis,
Chartisve mandas: hæc vetustas non teret,
Nec vincet unquam, signa quamvis ænea
Effringat, et potentium palatia
Æquata cœlo diruens æquet solo.
Hoc es beatis regibus beatior,
Tui labores quod perire non queunt,
Et, laude vulgus quidquid effert, negligis:
Nam, spreto honore vano, et auro, et omnibus,
Quæcumque ab Indo huc nauta vexit divite,
Jam conquiesces in tuorum amplexibus;
Parvoque honestum rure duces otium,
Securus æstuantis aulæ a fluctibus;
Tuaque nobis otiosus intima,
Quæ sunt nitenti digniora purpura,
Ex arte promes usque et usque munera.
Eas beatus et mei semper memor,
Ut pars amoris æqua sit tecum mihi;
Tu namque nostra mente nunquam decides.

JACOBI BONFADII

GAZANI VICI DESCRIPTIO.

Mœnia quum Saloi, et Benaci littora linquo,
Dextra iter ingressum per opaca et florida rura
Me brevis et facile acclivis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum, patrique Lyæo,
Et placitum altrici semper frondentis olivæ.
Planities jacet in summo cultissima; primo
Hujus in ingressu oppidulum est. Salaminius olim
Fadius egressus patria, Patavique secutus
Fundatorem urbis, posuisse in littore sedem
Dicitur; atque plagæ mox acri incensus amore
Hunc optâsse locum Gazæ, quam dives avito
Thesauro secum extulerat; tum nomine ab illo
Gazanum dixisse. Propinquis collibus arces,
Claraque magnanimûm stabant monumenta virorum.
Sed rerum absumptrix, retroque abstrusa vetustas
Obruta in obscuris secum omnia condidit umbris.
Hinc aciem procul in campos, terrasque jacentes,
Lataque Benaci protendere in æquora possum.
Vicini montes Boreæ de parte, reducit
Et qua sol radios, quaque altas abdit in undas,
Circumstant: facies spectanti celsa theatri
Formam offert. Sæpe indigenæ videre sedentem

Pana deum Arcadiæ, calamos quum inflaret in altis
Rupibus, et nymphas per sibila læta vocaret;
Nymphas, quæ plexis redimitæ tempora sertis,
Pastorum loca sola petunt, silvasque pererrant,
Omnia complentes lusu, dulcique cachinno.
Naïades quibus assultant de rupibus imis,
Solem ubi ad Hesperium præpingui e valle volutus
Flectit iter rapido atque sonanti flumine Clisis;
Quem dulces aurarum animæ comitantur, et alis
Per placidum levibus volitantes aëra circum,
Omnem divinis miscent afflatibus oram.
Dilecta ora mihi, Italiæ ridentis ocelle,
Naturæ lætantis opus, sancta ora deorum,
Quam lætus gelidos fontes, flexusque tuarum
Lympharum, Tempeque soli, cœlumque reviso!
Quamque libens vix ipse mihi credo æquoris undam
Tyrrheni, et Calabrûm saltus liquisse nivales,
Inque tuo incolumis gremio residere virenti!
Salve altrix antiqua, boni salvete recessus,
Et gaudete; Genique loci tu candide, fidi
Vosque Lares, placidi vestro cum numine amico
Este mihi, et nostrum tandem lenite laborem.
Te vero et moneo, et quantum me diligis, Alcon,
Oro, care Alcon; quanquam tua rura reliqui
Invitus, partemque sui mens ægra requirit;
Ne mihi commemores Athesim, neu tecta venustæ
Alta Coloniolæ. Juvat hic consumere totum
Sextilem, et dulces invisere sæpe sodales,
Qui lateri nostro sese agglomerare solebant
Olim, quum primis colludebamus in annis.

Horum in complexu vis prisci emergit amoris,
Ut satis æquo animo non me divellere possim.
Sed cum se primum decrescens fregerit æstas,
Ridebit placido cum Villia Doris in antro,
Me feret aurifluo vaga gurgite cymba repôstas
Flaminii ad sedes, ripæ ulterioris in arvis.
Huc occurre mihi; simul ad tibi grata vireta
Formelli et lætos Amathuntidis ibimus agros.
Rodulpho interea, qui se cœlestibus æquans
Divis, purpureo atque ardenti in murice fulget,
Quemque viam monstrantem æqui, magnum inclyta patrem
Roma colit, statuam patriis in montibus aras.

PAULUS MANUTIUS

AD EOS QUI PRO BONFADII SALUTE

LABORARUNT.

Dilectæ Musis animæ, Jovis unica cura,
In quibus et rectum, et longos extincta per annos
Nunc demum exoriens virtus antiqua relucet;
Et tu, qui docti dux inclytus agminis anteis,
Magnanime o juvenis, Grimoalde, quis ille, quis esse
Tam culto ingenio possit, tam divite vena,
Officium vestrum qui versibus exprimat aptis?
Lapsus erat miser in culpam Bonfadius: index
Detulerat patribus, nec inani teste probârat.
Quid facerent legum custodes? legibus uti
Coguntur; dignum est; servantur legibus urbes.
Continuo infelix in carcere conditur atro.
Nuntius interea tristis percusserat aures
Omnium amicorum. Vestris dolor hæsit acerbus
Mentibus; afflicti propere concurritis omnes.
O pietas, o prisca fides! vos crimine duro
Oppressum, et multis invisum, non tamen ipsi
Pendentem extremo casu liquistis amicum.
Pugnâstis precibus, fletu pugnâstis amaro,

Si possent flecti sensus, mentesque severæ.
Est etiam minime dubio sermone relatum,
Argento atque auro multos cupiisse redemtum.
Docta cohors, quid agis? turbatis navigat Euris
Spes tua; vana petis, portuque salutis aberras.
Ne lacrimas, ne funde ultra; desiste precari;
Suscipis ingratum studium, sterilimque laborem.
Fixa manet duris sententia legibus atrox.
Si fecit, pereat; factum patet, ergo peribit.
Horrendum carmen, tamen immutabile; quod non
Frangere vis hominum, non flectere gratia possit.
Exprimitur tandem hoc invito a judice, vivus
Ne comburatur crepitanti deditus igni.
Tum se carnifici sævo Bonfadius ultro,
Mente Deum spectans, animo imperterritus offert:
Ille ministerio propere functurus iniquo,
Terribilis rigidam suspendit ad alta securim.
Quem feris, ah! scelerata manus? quam nobile collum
Percutis, ignoras, et quo te sanguine tingis?
Hic, qui prostratus jugulum tibi porrigit, a te
Fortiter exspectans extremi vulneris ictum,
Dulcibus et numeris, et molli doctus avena,
Quum caneret versus Musis et Apolline dignos,
Aërio sacras descendere monte Camœnas,
Atque habitare tuo, Benace, in littore jussit.
Hic et Romano eloquio, et præcellit Etrusco,
Mansuetus, facilis, dulci sermone disertus.
Hæc tu non audis; sed inanibus irrita ventis
Mandantur, quæcunque loquor; tu parcere nescis:
Eximios humilesque feris discrimine nullo.

Sic visum est superis; mutari fata nequibant.
Fixum erat, ut damnatus, et acri judice victus,
Bonfadi, ante diem Ligurum morereris in urbe.
Urbs præclara viris, urbs classe insignis, et armis,
Barbaricæ gentis magnis decorata tropæis,
Cur veterem a nobis, cur fidum avellis amicum?
Non tamen obscurus perit, aut inglorius; exstant
Scripta viri, quæ posteritas mirabitur omnis.
Tu quoque in historiis seros memorata per annos,
Genua, florebis viridi cum laude; et ab illo,
Quem tu extinxisti, tibi lucida gloria surget.
At tu, cui miser extrema Bonfadius hora
Aspersam lacrimis misit per scripta salutem,
Flos Ligurum, Grimoalde, tuæ decus urbis, et orbis;
Et vos, o Phœbo sacri, studiisque decoris,
Egregii juvenes, mœstum lenite dolorem.
Jam sat honorifico celebrâstis funera fletu;
Jam satis officio, satis et tribuistis amori;
Nec vestrum studium, pietas nec vestra latebit,
Sed clarorum hominum semper notescet ab ore.
Et quas ille truci correptus morte nequivit
Officio, studioque pares persolvere grates,
Has qui perpetua vobis cum laude rependat,
Forsitant alter erit, vel jam est; multique sequentur.
Vive diu, studiosa manus, doctamque Minervam
Excole; quæ vestras divino nectare mentes
Pascet, et extremum tribuet per sæcula nomen.

HIERONYMI AMALTHEI

POEMATA.

AD MAXIMILIANUM BOHEMIÆ REGEM.

O quæ rotatu vecta volubili
Ustis ab Indis ad gelidos Scythas
Nunc blandienti, nunc minaci
Cuncta supercilio coërces ;
Ne me per altos divitis Antii
Regina montes, ne per inhospitas
Me coge valles fabulosam
Hinc panacem legere, hinc cyperum ;
Ut insalubri qui lue tabuit,
Formidolosæ vim fugiat necis,
Audente me leges deorum
Pæonio violare succo.
O mentis expers Iapeti genus,
Mutanda nullo est consilio dies,
Quam fata nobis dormiendam
Perpetuo statuere somno.

Fallacis ergo Pæonis ars vale;
Oblivioso sat mea torpuit
  Fides veterno: nunc canoros
    Tange, Erato numerosa, nervos,
Longumque rumpens voce silentium,
Nulli secundum concine principem,
  Seu malit armis, seu sagaci
    Consilio superare malit:
Quem nunc anhelo pectore Norici
Lugent morantem finibus exteris,
  Quem mille votis septicornem
    Vindelici revocant ad Istrum.
O solve Ibero carbasa littore;
Et luctuosas, maxime principum,
  Solare gentes; et paternos
    Exhilara reditu penates.
Qualis reducens post tenebras diem
Sol nigriorem discutit aëra,
  Regnumque Junonis serenat,
    Nubibus exiliens fugatis;
Talis reversus cardine ab Hespero
Subjecta septem regna trionibus
  Caliginosa nocte solves,
    Major avis, atavisque major.
Tu bellicosas frangere fraxinos,
Tu doctus ensem flectere Noricum,
  Urbes subactas, jusque avitum
    Eripies Asiæ tyranno.
Tu rursus urbis Martia Romulæ
Vexilla tolles, subjiciens tibi

Sol quicquid ambit, quicquid urnis
Uberibus lavit Amphitrite.
Quod si superstes muneribus fruar
Vitalis auræ, me fide Lesbia
Juvabit et prædas et hostes
Dicere compedibus revinctos.
Te rege latus dum Capitolio
Parebit orbis, dulci ego pectine
Molles in amplexus euntem
Nereïdum Tiberim reflectam.
Sic saxa quondam Threïcium ferunt
Secuta vatem, dum per inhospitas
Rupes, ademptam dum per imas
Quæreret Eurydicen latebras.
Qui postquam Averni constitit ad fores,
Et cor ahenum leniit Æaci,
Flexitque suspensi bibentes
Auribus Eumenides querelam;
Heu legis amens immemor, et sui,
Effudit altas frustra iterum preces,
Frustra revertentem puellam
Ad tenebras iterum secutus.
Quam mox nivali flevit in Ismaro,
Flevit sub Hæmi cautibus horridis,
Seu ferret atras vesper umbras,
Sive diem veniens Eous,
At tum occupavit plectra silentium,
Insanientum cum Ciconum furor
Sparsit cruenti membra vatis
Stipitibus lacerata quernis:

Cum lingua sacris faucibus eruta,
Futura mergis esca voracibus,
Ter visa flecti, ter sub Hebro
Ah miseram Eurydicem vocavit.
Sed siste inanem, barbite, næniam;
Nunc in beatis Thracius insulis
Exultat heros, et repertæ
Conjugis in gremio recumbit.
Quin Martialem dic potius ducem
Illustriori carmine, quem legat
Ætas nepotum, donec Atlas
Orbis onus grave sustinebit.

DE ACONE ET LEONILLA.

Lumine Acon dextro, capta est Leonilla sinistro;
Et potis est forma vincere uterque deos.
Blande puer, lumen, quod habes, concede sorori;
Sic tu cæcus Amor, sic erit illa Venus.

1507

IOANNIS BAPTISTÆ AMALTHEI

POEMATA.

ACON.

O Qui Dictæi statuat me in vertice montis,
Aut fortunatos Erymanthi sistat ad amnes;
Ut saturis panacem calathis, ut molle cyperum,
Dictamnumque legam, et fragrantia germina myrrhæ,
Et relevem infirmos artus languentis Hyellæ.
Illa quidem vix ægram animam sustentat anhelo
Pectore, et indignis singultibus interrumpit;
Nec vis ulla potest sævum lenire dolorem.
Illam etiam lacrimantem, etiam sua fata querentem,
Stellarum vigiles ignes, et primus Eöus,
Et Sol Hesperias vidit devexus ad undas.
Sol pater, æterno cœlo qui lumine lustras,
Et, quæcunque parit tellus, vegetasque fovesque,
Affer opem, et mœstam auxilio solare puellam.
Jam tibi Acon teneras, vicina ad flumina, lauros
Inseret; atque, ut nil unquam surgentibus obstet
Frondibus, avertet glaciem, et defendet ab æstu.

Has tibi Acon: at si macies, si pallor Hyellam
Liquerit, et niveos decorârit purpura vultus,
Ipsa seret, cum ver nitidis se floribus ornat,
Ipsa seret, mites cum stringit vinitor uvas.
Scilicet, et viridi in ripa, qua se hospita densis
Extendit ramis arbos, altaria ponet,
Semper flore novo, semper quæ vestiat herbis,
Illic agrestûm chorus et vicinia ruris
Sacra feret, supplexque tuos cantabit honores;
Straveris ut quondam iratis Pythona sagittis,
Tinxeris et fœdo victricia tela cruore.
Mille tibi aëria pendebunt spicula quercu,
Mille arcus, atque apta suo venabula ferro.
At vos, quæ nemora et rorantia fontibus antra
Incolitis, Nymphæ; vestras si sæpius aras
Verbena, primisque rosis donavit Hyella,
Et dedit aureolis insignia serta corymbis;
Vos ferte Eöos ditantia cinnama lucos,
Felicemque Arabum messem, Assyriosque liquores.
Vos ægram refovete, et tristes pellite morbos.
En virgo, exanimis virgo tabescit; et ille,
Ille decor roseo jam jam defloruit ore.
Qualis purpureus secreta in valle Hyacinthus,
Quem mater tellus aluit, gremioque receptum
Eduxit largo rore et felicibus auris,
Si cœli invasit vitium, aut immanior Auster,
Paulatim læto formæ spoliatus honore,
Deficit, et moriens arentibus incubat herbis.
Nunc etiam insuetos testantur rura dolores,
Et desolatis squallescunt pabula campis.

Pro viola mediis horret paliurus in agris,
Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrso,
Et nulla irriguas pingunt vaccinia ripas;
Et desunt nemori frondes, et gramina pratis;
Fons quoque desiliens prærupti tramite clivi
Contraxit liquidas nunc terræ in viscera venas,
Et desiderio formosæ accensus Hyellæ,
Vix fertur tenui per lævia saxa susurro.
Abde caput, miserande, et fracta turbidus urna
Muscoso occultare situ, cæcisque latebris:
Non est, quæ vitreis tecum colludat in undis.
Abde caput, miserande, cavoque inclusus in antro,
Et lucem indignare, et aperti lumina cœli:
Non est, quæ blando currentem carmine sistat;
Non est, quæ dulces latices dulci hauriat ore.
Crudeles morbi, vestro de semine labes
Insedit roseisque genis, roseisque labellis,
Dejecitque decorem oculis; et sævior, eheu!
Ingruit, et miseram silvis avertit Hyellam.
Ah! ne dira lues contagia proferat ultra;
Ah! ne artus ultra, pallentiaque occupet ora.
Parcite jam tenerisque genis, tenerisque labellis;
Et color, et pulchræ redeat sua gratia formæ.
Tu vero mea Hyella, meæ pars altera vitæ,
Pone metum, en! tibi Pæonios fert munera succos
Ipsa Pales, alacresque ferunt sua dona Napææ,
Costumque, Illyricamqe irim, vescumque papaver;
Quorum ope et effœto fugiant e corpore morbi,
Et placidus fessis obrepat somnus ocellis.
Jamque pedem in silvas referes, notosque recessus;

Adventuque tuo fonti cursum uberis undæ,
Et nemori frondes, et pratis gramina reddes;
Et fœcunda novis ridebunt frugibus arva;
Et tibi odoratos submittet terra colores.

AD SEBASTIANUM VENERIUM.

Ausa Dei classem sociasque lacessere puppes,
Impia gens, Euris sinuosa in vela vocatis,
Horruit adversas acies; fractasque superbæ
Vidit opes Asiæ, raptis spoliata tropæis.
Illa per Ionios centeno remige fluctus
Ibat ovans, tristesque minas et bella ferebat;
Impuleratque duces Cretæa a strage recentes
Rursus in arma vehi, et duro discrimine rursus
Hostiles petere exuvias, et Martia signa:
Obvia cum triplici sese tulit ordine classis,
Auspicio jam freta Dei, cœloque secundo,
Evertitque trucem validis incursibus hostem.
Tum superûm delapsa cohors plaudentibus alis
Irruere, et vacuas visa est rutilare per auras;
Et nunc barbaricas pelago submergere puppes,
Nunc invisam aciem rapidis incessere flammis,
Aut pugnare manu, mediisque insidere transtris
Aeneadum, et Venetæ defendere robora pubis.
Pars autem clypeis venientes excipit ictus,

Aut stipata levi circumvolat agmina gyro;
Non secus ac rigui si quando ad stagna Caystri
Candentes liquido glomerantur in æthere cygni,
Imbellesque agitant volucres, et inertia cædunt
Agmina; sanguineas Zephyrus rotat aëre plumas.
Cinge triumphali victricia tempora lauro,
Dux Venetûm, cui clara suæ cognomina gentis
Dat Venus, et spolia ampla tuo cape debita Marti,
Servatæ columen patriæ. Tu maximus ille es,
Æquoreæ qui primus inis certamina pugnæ,
Cladem Asiæ intentans: divi comitantur euntem,
Et curæ vigiles, et ovanti gloria plausu.
Ultricesque rates, et ahenea mittis in hostem
Fulmina, suscepto igne cavis impulsa metallis:
Quo sonitu tremuere undæ, perculsaque longe
Ambracia, et pavidæ latuere sub æquore Nymphæ;
Et refluo trepidans Achelous inhorruit amne.
Nec te ullæ belli facies, amissaque terrent
Regna, nec avectæ diverso ab littore prædæ;
Nec te animi vigor, et seris grave robur in annis
Deserit; et fracto exuvias ex hoste reportas,
Eque tua prior emicuit Victoria puppi.
Tum juvenem Imperio insignem, quem Cæsare magno
Progenitum, virtus per grandia facta parentis
Evehit, et cœlum promissaque sidera monstrat,
Attonitæ videre acies in prœlia versum,
Quo pietas, quo laudis amor, quo gloria traxit,
Et belli molem regere, et virtute tueri;
Qualis Atlas humero stellantem sustinet axem.
His quoque ab auspiciis, tantæ pars maxima pugnæ,

Curarumque comes, sacris Antonius armis
Turbabat cuneos, inimicaque signa premebat,
Vi superans; quantus crebris maria alta procellis
Secum hyemes, Eurosque trahens, et nubila perflans,
Verberat Orion, fluctusque illidit arenis.
Quem duo sectati varia in certamina fratres
Juncti animis ambo, cognato sanguine juncti,
Romulidæ proceres, per barbara tela, per ignes
Irrumpunt, Martemque acuunt, spoliisque superbis
Sæpe suam decorant ingenti mole Columnam:
Ceu quondam Œbalias soliti ductare cohortes,
Tyndaridæ adverso spoliabant milite castra,
Insignes paribus clypeis; quibus aureus ensis,
Et jam tum gemino radiabat sidere cassis
Aurea, puniceæ volitabant vertice cristæ.
Nunc pharetras, Lyciosque arcus, perfractaque tela,
Fluctus agit, laceræque natant in gurgite pinus.
Et jam trunca virûm, discerptaque corpora passim
Littoreæ sectantur aves, projectaque pascunt
Viscera, et effuso late rubet unda cruore.
Atque aliquis, Naupacte, tuas dum tendit ad oras,
Et pugnata refert sacris nova bella sub armis,
Dumque peregrina legit Actia littora pinu,
Ecce, ait, hinc pugnas iterum prospexit Apollo,
Bisque triumphatis Ægyptia signa carinis.
Sic ait, et celeri percurrit Echinadas aura.
Defer ad extremas victricia nomina gentes,
Fama, novas memorans pugnas, partosque triumphos;
Quæ vetera heroum obscuris monumenta sepulcris
Subtrahis, æternisque duces interseris astris.

Dic actos in bella viros socia arma ferentes
Hispanos Venetosque, intermixtosque Quirites,
Nunc primum Ionio in magno junxisse carinas:
At contra Euboïcas summa in certamina classes,
Mentitosque deos, viresque Orientis agentem,
Regem Asiæ domitum, trementefactaque saxa Caphareï.
Scilicet hoc dudum precibus votisque petisti,
Sancte Heros, qui sceptra Dei sedemque tueris,
Idem aperis, idem cœli penetralia claudis;
Dum tu neglecta pro religione laboras,
Et Vaticanas toties prostratus ad aras
Sacra facis, sanctasque vocas in fœdera gentes;
Jordanemque jubes, Solymasque reposcere sedes,
Atque implacatæ superare Propontidis oras.
Salve, operum tantorum auctor, qui numina nobis
Concilias, et dia tuis paris otia terris.
At tibi, dux Venetûm, nunc alter ab Hercule magno,
Qui gravidam colubris Hydram, qui Thracia monstra,
Exsuperas, iterumque Acheloïa cornua frangis,
(Quando etiam majora manent) superanda Propontis,
Rhœtæique sinus, proavitaque regna petenda:
Jamque tuis Rhodos, et Salamis, Naxosque receptæ
Accedent titulis; et jam concussa tumultu
Mygdonia, et tristes expavit Achaïa pugnas.
Te celsi juga Taygeti, te frigida Tempe,
Aoniumque vocat nemus, et Permessides undæ,
Et tua Pieriæ responsant nomina silvæ.
Tempus erit, cum rapta sacris solatia Musis
Restitues, fontesque suos, suaque antra recludes,
Nunc dira illuvie, et silvestribus obsita dumis,

Et sua jam profugi recinent ad flumina cygni.
Hinc et ad æquoream victor provectus Ioppem,
Antiquas Solymorum arces et sceptra reposces,
Ausoniæ imperio ac Romanis debita regnis;
Et tibi Carmeli rupes, tibi plaudet Idume,
Et tibi crescentes surgent ad sidera palmæ.
O sacræ Libani valles, o palmifer Hermon,
En erit, ut vestros liceat penetrare recessus?
En erit, ut Syrias lustrans pius hospes arenas,
Cœlicolûm signata legam vestigia plantis,
Bethlemiæque domus supplex sacraria visam,
Et propiora Dei cunabula pronus adorem?
Felices properate citis decursibus anni,
Concordesque iterum fatalibus aurea pensis
Sæcla neant Parcæ, meque hæc ad vota reservent.
Aspice, dum properant alios tibi fata triumphos,
Ut maria, ut tellus nobis, ut largior æther
Rideat, et nitido ostentet nova sidera cœlo;
Illustres animas, quæ prodiga pectora vitæ
Ausæ omnes, dum fata dabant, hostilibus armis
Objicere, et lethum pro relligione pacisci;
Has sedes peperere sibi, qua lactea fulget
Orbita, et æterni candent fastigia mundi,
Et modo pacatis diffundunt gaudia terris.

IOLAS.

Sic te perenni picta flore gramina,
Et umbra densis explicata frondibus
Levent, beate pastor; ut nec horrida
Hiems virentium arborum lædat comas,
Nec prata lætis exuat coloribus,
Prata illa regnis præferenda; quæ tibi
Tantum quietis, otiique suggerunt.
Felix Iola, grata ruris commoda
Semper tueris, seu colis scatentia
Vireta rivis, sive sub cavo speeu
Projectus, et curis solutus omnibus,
Canis, quod ipsa circum imago consonet,
Et alta reddant montium cacumina.
Felix Iola, nunc tibi fons languidum
Affert soporem blandiente murmure;
Nunc dulci amore saucius tuos novis
Incidis ignes populis; et stipite
Crescente dulcior simul crescit calor.
Tecum in reducta valle grex depascitur;
Quantumque longis solibus carpunt oves,
Brevi resurgit nocte. Tecum vespere
Surgente notis clauditur præsepibus;
Astrisque jam cadentibus, cum pascua
Lento madescunt rore, prosilit pecus
Molles ad herbas; hic tibi tunc alitum

Congratulantur cantus; hic felicibus
Aspirat auris obstrepens Favonius.
At tu, beate pastor, isto munere
Diu fruare; nec nemus, nec florida
Offendat arva frigus acre; sed tibi
Æterno aperti vere floreant agri.

MARCI ANTONII MURETI

POEMATA.

TIBUR.

Quicunque Herculei spectabit Tiburis arces,
Qua pater Hippolytus, sacri pars magna senatus,
Cura Deûm, loca perpetuo prius aspera saxo
Molliit, et leni jussit mitescere clivo,
Omnia deprendet longe superantia famam.
Nec tam regifico constructa palatia sumtu,
Auroque illusas ædes, radiataque tecta,
Quam semper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, et aquam in sublime volantem,
Seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
Præcipue tamen illi animum novitate movebit
Excisus, res mira, silex, rupesque cavatæ,
Et via facta manu longi per viscera montis,
Qua se Anio pater insueto pervolveret alveo;
Qui longum per iter tenebroso tramite lapsus,
Exit, et arboribus gelidæ non invidet undæ.
Stant habiles propter Nymphæ, lymphasque paratis
Exceptas urnis in vasa capacia fundunt.
Parte alia ipse suis altricibus adstat Iacchus,

Maternique memor casus, flammæque paternæ,
Gaudet aquis, illisque libens sua munera miscet.
Dum stupeo, tam multa videns miracula rerum,
Ecce novus procul alituum concentus ad aures
Fertur, et insolita mentem dulcedine tangit.
Aspicio, et gressum propius fero; corpora cerno
Parva ex ære avium ceratis nitentia ramis,
Dædala queis variam tribuit solertia vocem.
Quamcunque aspicias, delusus imagine, veram
Esse putes volucrem; nisi quod non evolat usquam,
Sed ramis affixa suis cantu æthera mulcet.
At veræ mirantur aves, et, cedere dum se
Turpe putant, liquidis late omnia questibus implent.
Hic Lucæ egregius labor est, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renovantem inventa magistri.
Quid? quem non moveat cygnum mentitus adulter,
Illudens simili spirantem e marmore Ledam,
Deliciisque suis et aquarum murmure lætus?
Multaque præterea veterum simulacra deorum,
Artis opus priscæ? inmotos verum arduus inter
Eminet Alcides, qui spectans omnia circum,
Hesperidum veteres hortos præ Tibure temnit.
Sed quid ego hæc versu nequicquam includere tento?
Jampridem exiguum præscripti carminis orbem
Excessi; et dictis semper majora supersunt.

AD P. FRANCISCUM BENTIUM.

Benti, nihil me, sicut antea, juvat
Pervigili studio nil profutura quærere;
Nec quas per urbes cautus, exciso Ilio,
Saxa Ithacæ repetens, Laërtis errarit puer;
Nec quot Ithacenses Circe pharmacis potens,
Vultu hominum posito, grunnire porcos jusserit.
Curæ magis mî est, lustra jam decem miser
Qualibus in vitiis defixus ipse erraverim;
Cum me, Dei vix jam manente imagine,
Mortifera induerat fœdam voluptas in suem.
Quis me sequetur fructus, ubi pernovero,
Quot mala Grajugenis Achillis ira invexerit;
Si nesciam vesanus, in quæ me mala
Præcipitem ira Dei, nisi resipiscam, actura sit?
Hei mihi laboris, hei dierum ac noctium,
Quas memini in studiis me talibus consumere,
Male metuentem, ne quis usquam æqualium
Certius ac melius plures teneret fabulas.
Et tamen ab æquis non gravate improvida
Judicibus veniam fortassis ætas impetret.
Sed nunc columbis concolor cum sim caput,
Et mihi sarcinulas brevi legendas sentiam,
Nisi meliora mente tota cogitem,
Bis puerum merito, Francisce, me vocaveris.

Beatus ille, quem juventæ in limine
Abstrahit a vitiis ipse et sibi adstringit Deus;
Nec tamen habendus ille in infelicibus,
Ad meliora, Deo vocante, qui venit senex.
Verum est poëtæ nobilis verbum vetus;
Si bene quid facias, sero licet, prodest tamen.
Communi uterque gratias agat patri;
Sors tibi prima data est, mihi secunda contigit.

NOTÆ.

NOTÆ

IN

SANNAZARIUM.

DE STUDIIS SUIS, ET LIBRIS JOVIANI PONTANI.

P. 1. In hac elegia pleraque Pontani, præceptoris sui, scripta Sannazarius commemorat; de quo egregio viro, in Sannazarii vita a Volpio conscripta, hæc leguntur. " Florebat ea tempestate in celeberrima urbe (Neapoli) Joannes Pontanus, vir disciplinis omnibus, et præcipue illis quibus juvenum animi ad humanitatem informantur, præter cæteros excultus atque expolitus. Ad hujus domum, tanquam ad certissimum Musarum et Sapientiæ templum, flos nobilitatis et juventutis Neapolitanæ undique confluebat: et cuicunque adolescenti bona de ingenio suo spes esset, is neminem alium, nisi Pontanum, studiorum suorum hortatorem quærebat. Quapropter non defuerunt, qui Pontani Academiam equi Trojani simillimam fuisse dicerent; ex qua scilicet non quidem belli duces, urbiumque expugnatores, at egregii poetæ, summique oratores plurimi in apertum prodierint." P. 13.

P. 2. v. 17. Scilicet et Turcas.—Cum principibus Neapolitanis, quibus carissimus erat, Pontanus sæpe stipendia fecit. Alfonsus autem Turcas Hydrunte, omnique adeo Italia expulit.

P. 2. v. 19. Qui nunc nascentis.—Ad hunc locum pertinent Uraniæ libri quinque, sive de stellis, Meteororum liber unus, heroico carmine scripti.

P. 2. v. 23. Hesperidumque hortos.—Scripsit de Hortis Hesperidum, sive de cultura citriorum, libros duo, heroico etiam carmine.

P. 2. v. 24. Rusticaque ad primos.—De Lepidina hic agitur, cujus septem pastorales pompæ, cum tribus diversi argumenti eclogis.

P. 2. v. 27. Qualiter et fulvis.—Bellum Sertorianum in Dialogo, cui nomen Antonius, heroico carmine Pontanus celebravit.

P. 3. v. 1. Te pater irriguis.—Amorum libros duo edidit, vario numerorum genere scriptos. Sebethi autem vel præcipue hic mentio est, eo quod ultima libri secundi elegia, fictione jucunda atque eleganti, memoratur Sebethi conversio in fluvium.

P. 3. v. 3. Inde vocas sacrum.—In Pontani scriptis sunt tres libri de amore conjugali, quorum tertius filiarum Aureliæ et Eugeniæ epithalamia continet. Alluditur autem ad elegiam quartam lib. 1. cujus initium,

Qualis ab Herculeis surgens complexibus Hebe
Visa est erepta virginitate queri.

P. 3. v. 9. Næniæ sunt duodecim, in quibus blæsas ac balbas nutricum blanditias retulit. De Fannia quæ sequuntur, deque Cinnama, pertinent ad Amores.

P. 3. v. 15. Eridani posthac.— Eridan nomen duobus Elegiarum libris dedit Pontanus, quibus celebravit amores Stellæ, mulieris Ferrariensis, e qua et filium sustuit.

P. 3. v. 19. Baianosque sinus.—Duo Hendecasyllaborum libri Baiarum titulum gerunt.

P. 3. v. 21. Tum superum laudem.—Hoc versu et sequentibus librum de laudibus divinis memorat, tumulorum libros duo, et carmina Sapphica.

P. 3. v. 26. Bellaque Campanæ.—Huic operi titulus, "Belli, quod Ferdinandus Senior, Neapolitanorum rex, cum Joanne Andegavense Duce gessit, libri sex." Quem librum Summontius in Epistola ad Franciscum Piccolominium his verbis laudat; "Quod vero ad historiæ fidem attinet, Pontanum scito singula hæc non rerum fama collegisse, non hinc atque illinc emendicasse, sed interfuisse ipsum rebus fere omnibus. Dissertazioni Vossiane di Apostolo Zeno. Tom. 2. p. 178.

P. 3. v. 28. Dum vafer in Stygio.—Dialogus est, qui Charon inscribitur.

P. 3. v. 29. Varronisque tui.—Duo sunt Pontani libri de Aspiratione. Primus e tenebris protulit Tiberii Donati in Virgilium Annotationes. Typis quoque excudi fecit Q. Rhemnii Palæmonis Vicentini Artem Grammaticam, et Donati de octo partibus orationis editionem secundam. Zeno Dissert. Voss.

P. 4. v. 1. Carminis hinc numeros—Actium dialogum memorat, in quo Actium nostrum Sincerum de numeris poeticis deque legibus historice disserentem fingit.

P. 4. v. 3. Ut sacros Mariani.—Hæc referri debent ad dialogum Pontani, qui Ægidius inscribitur, nomine scilicet eremitæ Augustiniani tunc celeberrimi, qui postea ordinis sui præfectus a Julio II. creatus est, Cardinalis vero a Leone X. Ægidii præceptor fuit Marianus, et ipse Augustinianus eremita, discipulo minus eruditus.

P. 4. v. 5. Aut apta ingratos.—De Asino dialogo loquitur, in quo invehitur in quendam beneficii immemorem.

P. 4. v. 19. Nec fugis astrorum.—De rebus cœlestibus Libros quatuordecim scripsit; centum etiam Ptolemæi sententias Latine vertit, et commentario illustravit.

P. 4. v. 27. Umbria.—In Cereto, Umbriæ oppido, natus est Pontanus.

AD DIVUM JACOBUM PICENUM.

P. 5. Præ cæteris cœlestibus Augustinum maximum illum Theologum, Gaudiosum, Jacobum Picenum, atque Antonium Lusitanum, cujus sepulcrum Patavii positum toto orbe terrarum celebratur, a Sannazario in honore habitos fuisse constat. Vulpius in Sannaz. vita, p. 26.

AD RUINAS CUMARUM.

P. 7. In Blondi Flavii Italia Illustrata hæc leguntur. " Est celsus in urbe Cumana collis, in cujus cacumine fuit templum Apollinis; de quo Virgilius,

Arces, quibus altus Apollo
Præsidet.

Et quidem nunc ea in urbe, quam vidimus omni destitutam habitatore, præter rupes saxo stupendas vivo, pinnæ cernuntur murorum excelsæ; et ubi Apollinis arx fuit, sacellum est Christianum et ipsum vetustate consumptum; nihilque extat integrum, nisi caverna frontispicio decorata manu facto, quam Sibyllæ antrum fuisse socius itineris nostri Prosper Camuleius vir doctus, eam ingressus, quibusdam conjecturis affirmat." Ed. Basil. 1559. p. 413.

P. 8. v. 6. Missa columba.—Paterculus lib. I. "Nec multo post Chalcidenses, orti Atticis, Hippocle et Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt; alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet."

QUOD PUERITIAM EGERIT IN PICENTINIS.

P. 8. Picentini ultra Neapolim fuerunt in ea fere regione qua Salernum situm est. Vallis autem, quam poeta laudat, descriptionem e notis in Vitam Sannazarii excerpsimus. "La valle è quella lunga, quanto amena, nella Contea di Gifuni, ed il Castello fu S. Cipriano; dietro cui a ponente è Santo Magno in territorio di Salerno. Perchè la famiglia Santo Mango, o sia S. Magno, era per quei tempi signora di questo feudo, donde avea tratto il cognome; e forse che Massilia vi avea qualche fondo dotale. Ed in fatti a S. Cipriano è la rupe e selva Cerretia, i sassi di Tebenna (ove oggi da paesani Santa Maria di Tevenna si dice) la nevosa cima del monte Merola, e le deliziose ville di Subbucula e di Acquavivola, come ce le dipigne il medesimo Sannazaro." P. 5.

P. 9. v. 9. genitrix.—Masella a Sancto Mango, Salernitana.

P. 9. v. 27. Tunc ego pastorum.—Hi decem versus ad Arcadiam spectant, Italico idiomate conscriptam. Quo in opere ma-

tris mortem luget; dolorem etiam Melisæi, h. e. Pontani ob conjugem amissam canit.

P. 10. v. 5. Ac tacitas per operta.—Quæ de antris dicuntur et fluminibus, referri debent ad prosam Arcadiæ duodecimam.

P. 10. v. 7. Ad carmen suum de partu virginis jam transit; mox ad piscatorias Eclogas.

P. 10. v. 13. Vir doctus, qui editionem Wetstenianam notis ornavit, in hoc loco hæsit. "Videtur (ait) loqui de alio opere, et quidem notissimo, cujus scena fuerit in Parthorum regno aut in Persia; nam hæc sæpe confunduntur." Mihi quidem hæc legenti referenda esse quoque ad Partum Virginis videbantur. Quippe Reges esse Magos, et Arsacidem oram pro Oriente dici. Locum tamen, in quo de Magis mentio sit facta, frustra quæsivi.

P. 11. v. 11. Te tandem deflevimus, optime regum.—Federicum Aragonium exulem in Galliam secutus est, ubi ille supremum diem obiit. Qua in re præclarum fidei constantiæque exemplum poeta dedit. Jure igitur hanc laudem sibi vindicare potuit, (p. 12. v. 7.)

Prosit amicitiæ sanctum per sæcula nomen
Servasse, et firmam regibus usque fidem.

AD FEDERICUM, FERDINANDI FIL.

P. 12. Hoc carmen, in quo vaticinari poeta videtur, post Federici mortem scriptum esse constat.

P. 15. v. 2. Barbarus hostiles ad sua vertit equos.—Carolus VIII. Galliæ rex, acerrimo ingenio adolescens, et qui totius Italiæ dominatum appeteret, induxerat in animum regnum Neapolitanum Ferdinando eripere, et ad id facilius maximas copias brevi tempore comparaverat. Sed tanta malorum mole impendente, Ferdinandus exacta jam ætate mortem obiit. Alfonsus vero, qui in patris locum successerat, quum potentissimi

hostis adventum formidaret, neque in populi principumque civium auxilio spem ullam poneret, quibus nimirum propter crudelitatem invisum se esse intelligebat, pristinæ virtutis oblitus, ac fortunæ cuncta permittens, in Siciliam confugit, ibique haud multo post e vita excessit. Ferdinandus itaque ejus filius, cujus mores paternis moderatiores erant, regni administratione suscepta, quantum potuit, Gallorum conatibus restitit; quibus quum par esse non potuisset, avitumque imperium amisisset, nequaquam tamen animo fractus, ei felicius gerendæ occasionem captabat. Accidit autem peropportune, ut Carolus in Galliam reverteretur; a cujus discessu strenuus adolescens incredibili virtute, celeritate, prudentia, hostes prælio fudit, remque amissam recuperavit. Sed perturbatum regni statum componere molienti acerba mors intervenit. Ad Federicum igitur, ejus patruum, omnis potestas translata est. Vulp. in Sannaz. vit. p. 19.

P. 15. v. 21. Quis sumtus, Leonora, tuos.—Ea Ferdinandi I. Siciliæ regis filia fuit, Alfonsi et Federici soror. A Tito Vespasiano Stroza laudatur;

Prolis et innumeræ, non degenerantis ab alto
Sanguine majorum, quem juret esse patrem;
Qui tamen in primis felix, Leonora quod illi
Filia sit, meritis non habitura parem.

Conjux fuit Herculis I. Ferrariæ ducis. Muratori Annali d'Italia T. 13. p. 309. Eam etiam summa cum laude commemorat Arrostus in carmine suo immortali, lib. 13.

P. 16. v. 12. Dictaque lanigeræ.—Mediolanum intellige. Cum prima urbis hujus fundamenta jacerentur, aper media parte lanatus repertus esse dicitur. Claudian.

Ad mœnia Gallis
Condita, lanigeræ suis ostendentia pellem.

Mediolani in publici ædificii muro Suis imaginem insculptam esse narrat Corius. Dell' Histor. Milanese, p. 3.

P. 16. v. 16. Ostendit sacrum mons ubi Jura nemus.—Mons

hte Jurassus dicitur Straboni et Ptolemæo, Gallis *le mont Jura* seu *le mont S. Claude*.

P. 16. v. 20. Elatum longa.—h. e. Carolum Burgundiæ ducem, cui Audacis cognomen; de cujus morte in Guicciardini historia hæc leguntur. " Ea natio (h. e. Helvetiorum) omni tempore invicta et ferox, suam ante annos fere viginti existimationem plurimum auxerat; propterea quod a Carolo Burgundiæ duce validissimo exercitu appetiti (hic est ille Carolus, qui potentia ac feritate regno Galliæ cunctisque finitimis maximo terrori fuit) eum ter paucis mensibus acie vicerant; ultimo vero conflictu, sive pugnantem, sive fugientem (nam quo id modo acciderit, obscurum est) etiam vita privarant. Edit. Ital. Tom. 1. p. 192.

P. 16. v. 25. Generum te deligit.—Fortiter et strenue se gessit Federicus in primo prœlio contra Helvetios. Postea, filiæ ejus in matrimonium ducendæ spe deceptus Carolum reliquit. Phil. Comin. l. 5. c. 3.

P. 17. v. 3. Sic periisse Carolum, ejusdem ævi scriptor testatur. Vid. ad calcem Philippi Cominæi, Vol. 3. p. 496. Quod sequitur, minus verum. Nancæi enim sepultus est non sine *notis incisis*; unde reliquiæ ejus postea devectæ, Divione inter Burgundiæ Ducum sepulcra locum obtinuere.

P. 17. v. 15. Fortissime Juli.—Is fuit Julius Aquivivus, pater Andreæ Matthæi Hadriæ Ducis, cæsus in prœlio contra Turcas. Andreas Matthæus vir fuit inter primos suæ ætatis memorandus, et literarum et armorum gloria longe nobilissimus.

P. 17. v. 29. Hic tibi felices tædas.—Annam Subaudiensem Ludovici XI. sororis filiam uxorem duxit. Not. ad Comin. l. 7. c. 15.

P. 18. v. 8. Macraque.—Fluvius Italiæ, qui Liguriam ab Hetruria separat; *la Magra*.

P. 18. v. 14. Vari.—Gallice *le Var*, qui fluvius prope Nicæam est.

P. 18. v. 15. Toroentia claustra.—Oppidum fuit haud procul a Massilia Tauroentium dictum.

P. 18. v. 16. Stœchadas.—Insulæ sunt prope Massiliam, Phocensium coloniam; hodie *isles d'Iéres.*

P. 18. v. 17. Marioque refossum littus.—Posterioribus temporibus Marius videns adgestione limi ostium (Rhodani) obturari, intratuque reddi difficile, novam egit fossam, qua majorem amnis partem exciperet; eamque Massiliensibus ob navatam præclaram in bello contra Ambrones et Toygenos operam prœmii loco donavit; unde hi sibi magnas pararunt opes, vectigal ab adscendentibus ac descendentibus exigendo. Strabo, l. 4. c. 1. s. 8.

P. 18. v. 19. Donec fatales Turonum.—In Turonum urbe ad Ligerim fluvium, quæ Gallice *Tours* vocatur, obiit Federicus.

AD VILLAM MERGILLINAM.

P. 19. Rus suburbanum, in Pausilypi montis latere situm, ob amœnitatem magis, pulcherrimumque Tyrrheni maris prospectum, quam ob fructuum ubertatem, a superioribus regibus in pretio habitum. Vulp. in Sannaz. vit. p. 20.

DE FONTE MERGILLINES.

P. 24. v. 3. Nazari, unde omnes tituli.—Sanctus Nazarius pagus est in Mediolanensi regione. Nomen invenit (nisi conjectura fallor) a viro fortissimo, qui patre Africano natus, Neronis Cæsaris temporibus maximos cruciatus toleravit, seque acriter morti obtulit, ut pro Christi doctrina contra veterem gentium superstitionem propugnaret. Cultus ejus non in urbe solum, sed etiam in finitimis locis, festis institutis diebus, constantissime retinetur. In eo pago cæteris præstitit Sannazariorum familia. In festo die hujus Sancti Nazarii poeta natus est. Vulp. in Sannaz. Vit. p. 8.

FERDINANDO FEDERICI REGIS FILIO.

P. 24. Hic juvenis, quum pater victus in Galliam confugisset, a magno duce Gonsalvo Cordubensi contra jusjurandum proditus, in Hispaniam devectus est, ibique, ne regnum paternum recuperare conaretur, libera et honesta custodia retentus usque ad diem supremum. In hac autem Ecloga insigniores regionis Neapolitanæ locos Sannazarius commemorat.

P. 24. v. 4. magni Crateris.—" A Sinuessa versus reliquam oram maris, sinus est usque ad Misenum promontorium justæ magnitudinis; inde alius priore multo major, (Craterem nominant) a Miseno usque ad Minervæ promontorium, duobus in sinus morem conclusus promontoriis." Strabo, l. 5. c. 4. s. 3. Hodie *Golfo di Napoli.*

P. 25. v. 16. Saxa Minervæ.—" Athenæum, seu Minervæ promontorium, quod alii Sirenusarum vocant. Eo in promontorio fanum est Minervæ ab Ulysse conditum, indeque in Capreas insulam brevis trajectus. Ubi id circumflexeris, insulæ occurrunt desertæ et saxosæ, quas Sirenas dicunt." Strabo. l. 5. c. 4. s. 8.

P. 26. v. 5. Hinc magni Alcidæ tauros.—Lucrinus sinus in latum producitur usque ad Baias, interclusus ab externo mari aggere longo stadia octo, tantaque latitudine, quantam lati currus orbita occupat. Eum aggerem aiunt ab Hercule factum, dum Geryonis boves abigeret. Cum autem tempestatibus mare agitantibus undas multis locis admitteret, difficulterque terrestri itinere posset peragrari, ab Agrippa est quod deerat structuræ additum." Strabo. l. 5. c. 4. s. 6.

P. 26. v. 9. Cimmeriumque domos.—" Includitur Avernus montibus arduis, et undique, præterquam in aditu, imminentibus; qui nunc quidem coluntur, olim autem silva inaccessa altissimarum arborum obsiti erant, quæ sinum ipsum obumbrantes superstitioni inserviebant. Fabulantur etiam accolæ aves,

quæ sinum supervolarent, in aquam decidere, aeris exhalatione exanimatas, ut fit in locis Plutoni dicatis. Etiam Avernum huic deo sacrum esse, ibique Cimmerios habitasse putabant. Strabo. l. 5. c. 4. s. 5.

P. 26. v. 10. Nesidos amore.—Nesis parva insula est inter Neapolim et Puteolos, ante Pausilypum promontorium, hodie *Nisita*.

P. 26. v. 23. Regna auricomæ Sirenis.—h. e. Neapolim, ubi sepulcrum Parthenopes, unius Sirenum. Chalcidensium nonnulli huc immigrarunt.

P. 26. v. 27. Liquidos fontes.—Labullam intellige, rivum vel potius fluviolum per cuniculos Neapolim miro opere inductum, immisso per Labullæ arcuatos fornices milite Neapolim cepit Alphonsus Aragonius. Noster l. 2. El. 1. v. 37.

Obsessamque intrat Nymphis comitantibus urbem,
Qua per operta vagus labitur antra liquor.

P. 26. v. 30. Euplœam.—Insulam juxta Puteolos, quæ fida est statio navibus. De qua Statius Silv. l. 2. 2. 79. "vagis omen felix Euplœa carinis."

P. 27. v. 1. Præruptaque saxa Thelebοum.—Telebοæ Taphum, unam ex Echinadibus incoluerunt, in quam ex opposita Acarnania transierant. Relicta Tapho, Capreas insulam, Surrentino promontorio Campaniæ objectam adiisse, hoc ex loco constat. Heyn. ad Virgil. Æn. 8. v. 733.

P. 27. v. 3. ut Corydona.—De Virgilio loquitur, deque Joanne Joviano Pontano.

P. 27. v. 9. Stabias.—Urbs est parva Terræ Laboris in ora sinus Neapolitani, excisa olim a Lucio Sylla.

P. 27. v. 15. Addit tristia fata.—Brevis commemoratio exilii regis Federici, qui in Gallia obiit.

*** Nonnulla eorum quæ in Sannazarium notata sunt, excerpsimus ex editione Wetsteniana, 1689.

NOTÆ

IN

CASTILIONIUM.

CLEOPATRA.

P. 28. Leone X. Pontifice maximo, quum aula viris ingenio et doctrina præstantibus maxime floreret, Poetæ quidam nobiles exquisitissimæ artis simulacra admirati, ea versibus celebranda susceperunt, uti et Principi omnium elegantiarum amantissimo obsequerentur, et sui ævi homines ad antiquæ laudis æmulationem excitarent. Inter cæteros tamen singularem quandam gloriam consequuti sunt Jacobus Sadoletus, qui Laocoontem, et Castilionius noster, qui Cleopatram, heroico carmine descripserunt. Serassius in Castilionii opp. edit. T. 2. p. 328.

Reperta est hæc pulcherrima statua, Julio secundo regnante. Vaticanis olim in hortis, postea in Musæo Pio-Clementino, locum habuit; ubi et Castilionii et Favoriti Carmina, Clemente XI. auctore, marmori inclsa sunt. Lutetiam Parisiorum Galli victores transtulere.

Cæterum Cleopatram haud vero nomine eam appellari peritiores judicant; quippe quæ armillam in brachio, non serpentem habet. Armillam enim serpenti similem, et ὄφις inde dictam, eamque singularem, in brachio fere sinistro, mulieribus gestare mos erat. Quæ quidem in aliis statuis cernitur. Hanc autem esse Ariadnem, in insula Naxo solam relictam, atque dormientem, certissimis argumentis, in opere suo elegantissimo, Viscontius ostendit.—Museo Pio-Clementino.

P. 29. v. 8. Julius.—Julus II.

ALCON.

P. 30. Deflet Poeta Falconis Mantuani juvenis mortem, quem secum domi ab ætate ineunte aluerat, habueratque comitem et socium studiorum ac vigiliarum suarum omnium. Obiit Mantuæ anno MDV. in Castilioniorum domo, ubi Hieronymum Balthassaris fratrem literis instituendum susceperat. Hanc tamen Eclogam non statim post Falconis mortem Castilionius conscripsit; meminit enim in ea Hieronymi fratris vita jam functi; qui quidem anno tantum insequenti mortuus fuerat, paucos scilicet ante dies, quam Balthassar legatus a Guidubaldo Duce in Angliam proficisceretur. Serass. T. 2. p. 322.

P. 30. v. 16. Iolas.—Scilicet Castilionius. Id. p. 323.

P. 33. v. 3. Ignis Galatea meus.—Hæc Poetæ nostri Galatea fuit Elisabetha Gonzagia Guidi Ubaldi Urbinatum Ducis uxor, matrona omnium sui ævi mulierum forma, virtute, et pudicitia facile princeps. Id. p. 324.

P. 33. v. 10. Heu male me ira deûm.—Vix enim aliquot ante menses Castilionius Mantua discesserat, ut in Pontificio exercitu stipendia faceret. Id. p. 324.

P. 33. v. 14. Invideo Leucippe, tibi.—Hieronymum fratrem alloquitur Poeta, qui Falconis lectulo assederat, præstiteratque morienti extrema officia. Id. p. 325.

P. 33. v. 20. Alconem ad manes.—Vixdum anno a Falconis morte elapso, Hieronymus e vivis excessit. Id. p. 325.

P. 34. v. 19. Hic redolens sacros.—Romani soli delicias enumerat, quæque eruditum hominem allicere et delectare possint, admiranda scilicet antiquitatis monumenta, colles, campos, fontes, eaque ipsa prata, ubi Virgilius formosum Alexin cantaverat. Id. p. 326.

PROSOPOPŒIA, &c.

P. 36. Ludovicus Picus magni nominis dux, quum Bononiensi bello multa præclare et fortiter pro Julio II. Pont. Max. ges-

sisset, excursione in Ferrariensem agrum facta, tormento bellico capite ictus interierat. Eam ob rem Mirandulæ Concordiæque dominatus ad uxorem Franciscam magni Jacobi Trivultii filiam pervenit; quæ recepto Gallorum præsidio ea oppida cum Alexandro fratre tutorio nomine gubernabat. Quod Julio Ferrariam recuperare meditanti minime probatum est. Nam ea non parvi momenti oppida in hostium potestate esse invito animo ferebat. Accedebant Jo. Francisci Pici lacrymæ et flagitationes, qui ditionem eam hereditario jure ad se pertinere arbitrabatur. Itaque Gallorum partes deserere, sibique interim eas arces tradere renuntiante Trivultio, Pontifex Mirandulam obsidere atque expugnare constituit. Huic obsidioni interfuit Castilionius, fingitque Ludovici umbram ante se constitisse, miserabilemque hunc in modum fuisse lamentatam. Scribendi occasionem fortasse præbuit simultas, quam Jo. Franciscum cum Poeta nostro usque adeo exercuisse constat, ut illum Julio II. in suspicionem adduxerit, quasi cum Francisco Urbinatum Duce et Pontificis nepote Gallicis partibus faveret. Serass. Adnott. p. 333.

P. 36. v. 19. O Pater.—Julium II. alloquitur. Id. p. 334.

P. 37. v. 5. Natumque meum, uxoremque.—Ludovici filius fuit Galeatius, et uxor Francisca Trivultia. Id. p. 334.

P. 37. v. 9. Felsina cum imperium.—Bononiensi bello multa præclare et fortiter gesserat Picus. Id. p. 334.

P. 38. v. 17. Impius hostis.—Intelligit Jo. Franciscum Picum, qui Mirandulano imperio inhiabat, cujusque gratia Pontifex eam obsidionem maxime suscepisse putabatur. Id. p. 335.

P. 38. v. 18. Fata illum non leviora manent.—Hoc Castilionii vaticinium exitus comprobavit. Galeottus enim Ludovici filius, quum Mirandulæ dominatum ex paterno jure invadendum existimasset, nocte intempesta conscenso muro et arce per insidias occupata, Jo. Franciscum consternatum metu, et ante Christi imaginem orantem cum liberis trucidavit, Idibus Octobris MDXXXIII. quatuor scilicet post annos, quam Castilionius in Hispania decesserat. Ceterum Jo. Franciscus vir fuit pius, et

literis præsertim sacris liberaliter eruditus, indignusque propterea habitus, qui tam nefarie et crudeliter necaretur. Id. p. 335.

ELEGIA, &c.

P. 39. Quum Romæ esset Castilionius Friderici Mantuæ Marchionis orator apud Leonem X. Hippolytæ uxoris, quam unice diligebat, desiderii leniendi causa hanc Elegiam conscripsit circa annum MDXIX. Fuit autem Hippolyta Guidi Taurelli et Franciscæ Bentivolæ filia, mulier cum singularibus animi corporisque dotibus prædita, tum amore in virum suum prope incredibili. Id. p. 337.

P. 39. v. 11. Nunc Vaticani.—Novum Divi Petri templum, sub Julio II. ædificari cœptum, ab Leone X. summa contentione perficiebatur. Id. p. 337.

P. 40. v. 3. Non celebres ludos.—Ludicros ludos innuit, qui festis diebus ab aulicis equitibusque Mantuani Principis fieri solebant. Id. p. 337.

P. 40. v. 7. Raphaelis imago.—Hæc tabula non multos ante annos in potestatem venerat Silvii Valentii Gonsagæ S. R. E. Card. Camerarii, Principis omnium elegantiarum amantissimi, qui ejus etiam typum in ære incidi diligenter curaverat. Nunc est apud Aloysium Valentium ejus ex fratre nepotem, summique illius viri non tam rei familiaris, quam exquisitissimarum virtutum hæredem. Id. p. 337.

P. 40. v. 13. Balboque patrem puer.—Hic puer Camillus appellatus est, fuitque vir omnino dignus clarissimo patre. Id. p. 337.

P. 40. v. 14. Hoc solor.—Idem vere affirmat Hippolyta in quadam ad Castilionium epistola; "Tutti li miei contenti adesso sono aver vostre lettere, pensar di voi, e star con Camillo ricordandomi di voi." Id. p. 338.

P. 40. v. 21. Cum populi pars hæc Ursum.—Discordiarum scilicet meminit inter Ursinos et Columnenses. *Id.* p. 338.

DE MORTE RAPHAELIS.

P. 43. Raphael Sanctius Urbinas, pictorum omnium ætatum facile princeps, cum omnibus, qui tunc Romæ erant, viris illustribus in deliciis fuit, tum vero tanta familiaritate Castilionio nostro conjunctus, ut et intima ejus consuetudine, et in operibus etiam delineandis consilio sæpissime uteretur. Erat enim Castilionius picturæ et architecturæ scientissimus. Itaque vix dici potest, quantum mœroris ex Raphaelis obitu conceperit. Id. p. 342.

P. 43. v. 3. Ad Stygias ipse.—Scilicet Æsculapius, qui, ut in fabulis proditum est, cum artis adminiculo defunctorum animas in corpora revocaret, Jovis indignantis fulmine ictus interiit. Dictus est autem Epidaurius a templo, quod Epidauri habuit, florentissima Achaiæ urbe. Id. p. 342.

P. 43. v. 7. Atque urbis lacerum ferro.—De ingenio et solertia, quibus Roma in pristinam faciem revocanda utebatur vir celeberrimus, Cœlium Calcagninum audiamus.—"Vir prædives et Pontifici gratissimus Raphael Urbinas, juvenis summæ bonitatis, sed admirabilis ingenii. Hic magnis excellit virtutibus, facile pictorum omnium princeps, seu theoricen, seu praxin aspicias. Architectus vero tantæ industriæ, ut et inveniat ac perficiat quæ solertissima ingenia fieri posse desperarunt. Prætermitto Vitruvium, quem ille non enarrat solum, sed certissimis rationibus aut defendit, aut accusat tam lepide, ut omnis livor absit ab accusatione. Nunc vero opus admirabile ac posteritati incredibile exequitur: nec mihi nunc de Basilica Vaticana, cujus Architecturæ præfectus est, verba facienda puto: sed ipsam plane urbem in antiquam faciem et amplitudinem et symmetriam instauratam magna ex parte ostendit. Nam et montibus altissimis et fundamentis profundissimis excavatis, reque ad scriptorum veterum descriptionem et rationem revocata, ita Leonem Pontificem, ita omnes Quirites in admirationem erexit, ut quasi cœlitus demissum numen ad æternam urbem in pristinam majestatem reparandam

omnes homines suspiciant. Qua re tantum abest, ut cristas erigat, ut multo magis se omnibus obvium et familiarem ultro reddat, nullius admonitionem aut colloquium refugiens, utpote quo nullus libentius sua commenta in dubium ac disceptationem vocari gaudeat, docerique ac docere vitæ præmium putet. Tiraboschi Storia della Letterat. Ital. T. 7. p. 1539.

Conf. etiam Raphaelis Vita a Paulo Jovio scripta, quam Tiraboschus primus edidit. T. 7. p. 1644.

IN CUPIDINEM, &c.

P. 43. Hujus Cupidinis meminit Cicero, (in Verrem Act. 2. lib. 4.) eratque Messanæ in sacrario C. Heji Mamertini, quod Verres diripuit. Plinius quoque (lib. 36. c. 5.) de Praxitele verba faciens; " Ejusdem (inquit) est Cupido objectus a Ciceronе Verri, ille, propter quem Thespiæ visebantur, nunc in Octaviæ scholis positus. Serass. Adnot. p. 346.

Idem Epigramma in editione carminum selectorum Patavina (T. 2. p. 220.) Cœlii Calcagnini nomine inscriptum est.

NOTÆ
IN
BEMBUM.

BENACUS.

P. 44. v. 1. Te, Giberte, cano.—Joannes Matthæus Gibertus, nobili stirpe Genoensi oriundus, patriam habuit Panormum, Siciliæ urbem. Eruditione et aliis virtutibus eousque adolescens in-

claruit, ut Romæ muniis publicis obeundis ante annos designaretur. Leoni X. adprime carus extitit, a quo Datariam accepit. Hanc fide gessit integra, hominum litteris et pietate illustrium patrocinio celeberrimus. Ob prudentiam et singularem in rebus agendis peritiam, eum magni fecit Clemens VII. et in secretiora consilia adhibuit. Anno 1524 ex Abbatia Rosarii eum evexit ad Episcopatum Veronensem, et aliis subinde honoribus insignitum Germaniam legavit, ut, furente inter Franciscum 1. et Carolum V. bello, Italiæ paci consuleretur. Clemente mortuo, gratia non minori apud Paulum III. valuit. Animam Deo reddidit anno 1543. magno sui desiderio apud omnes bonos relicto.—E notis in Vidæ. edit. Oxon.

De hoc spectatissimo episcopo, omnium literatorum hominum amico et patrono, operæ pretium erit audire quoque optimum virum Angelum Fabronium, qui Leonis X. vitam eleganter conscripsit. "Minime silentio prætereundus est Matthæus Gibertus Veronensis, qui Leoni vel ab ineunte adolescentia mirum in modum acceptus fuit ob suavitatem et innocentiam morum, ob ingenium, quod ad mitiora studia prorsus factum videbatur, quodque cum transtulisset ad graviora, factus Veronensis Episcopus, veluti lumen aliquod eluxit sanctitatis et doctrinæ. Cum illi gratularetur Sadoletus, quod ejus impensa et opera optimi scriptores Græci, quorum in sacris litteris interpretandis egregia doctrina est et auctoritas, imprimerentur, ait in hoc se agnoscere "pristinum ejus animum propensum ad bene merendum de artibus optimis." Multa sunt alia elogia, quæ docti et boni omnes illi impertivere; plurimumque auxere beneficia, quæ in illum Leo contulit, Clemens VII. et Paulus III. qui ejusdem fructuosissima opera multis gravissimisque in rebus usi sunt. Nec profecto dubito, quin in amplissimo S. R. E. Cardinalium collegio ipsum locassent, nisi natalium dedecus obstitisset. Leon. X. p. 188.

P. 47. v. 4. Etruscus pater.—Julius Mediceus, Clemens VII. pontificio nomine dictus.

NOTÆ

IN

SADOLETUM.

DE LAOCOONTIS STATUA.

P. 51. Bembus in Epistola ad amicum suum Sadoletum.—"De Laocoonte legi centies carmen tuum. O te poetam mirificum! ita non modo ejus signi nobis quasi aliud simulacrum effinxisti, sed plane jam signum ipsum prorsus in animo insculpsisti meo. Quid quæris? Equidem cum Beroaldo valde sentio; non jam enim Romam cogito, ut Laocoontem videam, cum habeam tuos versus." Sadoleti Epist. Famil. T. 1. p. 15.

Hac celeberrima Laocoontis Statua, prope Titi Thermas reperta, Julius II. Pont. Max. hortos Vaticanos ornavit. Postea in Musæo Pio-Clementino locata est; unde his temporibus, Italia bello vexata et direpta, Lutetiam Parisiorum Galli devexere. Laocoontem commemorat Plinius; "qui (ait) est in Titi Imperatoris domo, opus omnibus et picturæ et statuariæ artis præferendum. Ex uno lapide eum, et liberos, draconumque mirabiles nexus, de consilii sententia fecere summi artifices, Agesander et Polidorus et Athenodorus Rhodii." N. H. l. 36. c. 5.—Duas commissuras habere, et e tribus lapidibus constare hanc statuam, primus perspexit Michael Angelus Bonarotius.—Viscontii Mus. Pio-Clement.

DE QUINTO CURTIO.

P. 53. Poetices etiam studiosus fuit; in qua quidem quantum excellere potuerit, si ei se studio penitus dedere voluisset, complura, quæ ab eo adolescente facta sunt, poemata declarant, atque illud in primis quod Curtius inscribitur; ex quo intelligi licet, gravem eum et grandiloquum, ut ita dicam, poetam evasurum fuisse.—Anton. Florebellus de vit. Jac Sadoleti p. 5.

NOTÆ

IN

FRACASTORIUM

SYPHILIS.

P. 65. v. 15. Bembe.—Eo tempore Pontificiarum Epistolarum scriptor Bembus erat. De cujus scribendi ratione Philippus Bonamicius judicium fecit, a Leonis erga literas et bonas artes meritis initio ducto. "Sed ecce Leonis Decimi Pontificatus, quem maxime bonis artibus utilem omnibus, vereque salutarem possumus dicere. Ipse enim Pontifex bene a puero institutus et patris Laurentii diligentia, et Angeli Politiani eruditissimi hominis disciplina, acceptum a majoribus suis, et Pontificio jam more traditum patrocinium literarum mirifice auxit per sese insigni et divina quadam liberalitate. Itaque uberrimus tum fuit latinorum poetarum, historicorum, oratorum fœtus. In-

credibilis factus ubique est ingeniorum motus, quum scholæ omnes, academiæ, urbes, provinciæ, nationes, latinæ facultatis cupiditate flagrare viderentur, quum illam certatim doctissimus quisque, aliusque alio studiosius excoleret; quum alii eruerent, emendarent, interpretarentur veterum pulcherrima monumenta; alii sua proferrent; omnes denique cum barbarie continenter bellum gererent: qua depulsa tandem et profligata, cum antiqua Romanorum gloria Latine eo tempore scribendi elegantia et copia æquata videbatur. Tum vero fuit Petrus Bembus Card. in scriptorum nostrorum numero; cujus Bembi nomen vobis, O eruditi homines, erit in hoc ipso scriptionis genere instar maximæ laudis. Et nimirum is princeps ex nostris ornamenta illa et lumina Ciceronis in Pontificias epistolas transtulit; vellem parcius, neque ita Ciceronem imitaretur, ut ea etiam (id quod antea diximus) ascisceret, quæ a Christiani hominis pietate abhorrere videbantur, neque erant ad nostra tempora, nostrosque mores accommodata. In quo sicut a nonnullis reprehenditur, ita laudari in eo debet ab omnibus, quod magnificentius, quam antea, et ornatius scribendi genus secutus, non verba solum, sed etiam vim atque indolem Ciceronis, et primus et fere unus omnium maxime expresserit.—De claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus. p. 80.

P. 67. v. 13. Sagra fluvius est Calabriæ ulterioris; olim Bruttiorum inter Locros et Cauloniam in Magna Græcia.

P. 67. v. 14. Japygis oræ.—Japygiæ nomen ad Apuliam, Calabriam et Messapiam pertinuit.

P. 71. v. 21. Insolita exarsit febris.—Gravissimam hanc pestilentiam, quæ Italos invasit anno 1348. Boccatius, Thucydidem imitatus, optime descripsit. Quapropter a Petrarcha in Epistola laudatus est. "Patriæ nostræ (ait) statum, illius scilicet pestilentissimi temporis—meo quidem judicio, et narrasti proprie et magnifice deplorasti."

P. 72. v. 13. Senior vates.—Pontanus.

P. 73. v. 6. Sebina.—Per Sebinum lacum, hodie *lago d'Iseo* dictum, Ollius in Padum defertur.

P. 79. v. 17. Ipsa labores, Parthenope.—Neapolim scilicet deflet belli calamitatibus vexatam, regemque a Gallis domitum, et sceptro privatum.

P. 79. v. 20. Stragem infandam.—In Tarri, seu Tari ripa, qui inter Parmam et Placentiam labitur, Veneti socique cum Caroli octavi exercitu prælium commiserunt. De quo Bembus in Hist. Venet. l. 2. p. 64. "Pugnatum est acriter ab utrisque, cædesque ingens facta; eoque res horæ spatio deducta, ut neutris plane victoribus, defessis potius pugnando, quam permittentibus Venetis, Galli se celeriter subriperent."

P. 79. v. 26. Abdua.—Prope hoc flumen Venetorum copiæ a Ludovico XII. fusæ profligatæque sunt. Bemb. Hist. Venet. l. 7. p. 280.

P. 80. v. 4. Vitiferi colles.—Colles scilicet pulcherrimi prope Vicentiam. Ex iis Erethenus *(il Rhone)* fluvius oritur, et Euganeis lymphis, h. e. Medoaco minori *(il Bacchiglione)* in urbe se jungit. Leandro Alberti p. 475.

P. 80. v. 20. Marce Antoni.—Marcus Antonius Flaminius, præstantissimus poeta, anno ætatis suæ quinquagesimo secundo diem supremum obiit.

P. 80. v. 25. Manesque Catulli.—In Sirmione peninsula amœna agri Veronensis ad lacum Benaci sita, qui nunc *lago di Garda* vocatur, prædium habuit Catullus.

P. 80. v. 30. Placidumque Silim.—Silis Tarvisii est fluvius.

P. 80. v. 30. Carnumque rebellem.—Carnorum regio fuit sub Alpibus Carnicis; cujus pars Carniola nunc appellatur.

P. 82. v. 1. Hesperidum.—" Virides insulæ, quas nonnulli Hesperides esse existimant." Jovius l. 18.—Canarias eo nomine Bembus appellat. Hist. Venet. l. 6.

P. 82. v. 1. Prassum seu Prasum promontorium est in orientali Africæ ora, *Delgado* hodiè dictum. In eadem Rhapta fuit urbs, ad Rhaptum fluvium sita.

P. 82. v. 3. Carmano ex æquore.—Sinu Persico.

P. 82. v. 6. Catygare.—In Sinarum ora a Ptolemæo posita est.

P. 82. v. 6. Cyambe.—Num Ciampam hoc nomine designat? Navigationi Lusitanorum terminos sic constituit Maffeius. "Ad nobilissimas insulas plurimasque, Javas majorem et minorem, Borneum, Bandam, et Molucas, et Lequios, et Japonios tenditur; itemque ad continentem oram Cambojæ, Ciampæ, Caucincinæ, ac Sinarum. Ultra Lusitanis incomperta navigatio est. Hist. Ind. l. 1. p. 22.

P. 82. v. 11. Vatem egregium.—Pontanum iterum laudibus prosequitur; qui eo quidem nomine semper laudari debet, quod ad scientiam ac literas renovandas et promovendas quam plurimum contulerit. Lacteam viam e plurimis stellis constare primus docuisse fertur.

P. 82. v. 20. Magnanimus Leo.—" Quod si Leo nomen suum immortalitati commendavit, si ejus memoriam posteritas omnis prædicabit; id tribuendum est validissimo illi, magnanimoque patrocinio, quo ipse litteras litteratosque semper studiossime fovit, ac munificentissime sustentavit. Hæc fuit profecto propria et peculiaris Leonis X. laus, scilicet omni ope curasse litteras, fovisse ac propagasse, omnique beneficiorum genere earum cultores affecisse atque incitasse; qua una quidem in re nemo conferri potest cum Leone, isque certe palmam cunctis eripuit.—Neque vero ulli Leonis ævo floruerunt aut litteris instructi, aut eruditione noti, aut editis operibus clari, quos ipse non benigne complexus fuerit, non excitaverit ad studia bonarum artium ardentius excolenda, denique non omni genere beneficiorum cumulaverit. Ecquis Leoni dicavit librum, munus litterarium obtulit, carmen recitavit, quem non humanissime exceperit, laudibus ornaverit, munifice remuneratus fuerit? Nunquam dicendi finem facerem, si omnes commemorare heic vellem doctos homines, quorum alios ingentibus donis, alios honoribus, alios etiam opulentis Sacerdotiis auxit, atque ditavit."—Renazzi de laudibus Leonis Oratio. p. 15. 21.

P. 85. v. 24. Pucinus ager.—Prope Tergestinum sinum est. Ejus vinum laudat Plinius. De Rhætico vino vid. Virg.G. 2. 96, et Heyn. not.

P. 100. v. 30. Anthylia.—Novi orbis regiones quasdam commemorat. Anthylia, sive Antilia, forsan est Hispaniola. Quæ sint Hagia, Ammerie, Gyane, nescio. In Benedicti Varchii ad Paulum Jovium Epistola legimus,

——— ubi Ammerice nostri de nomine civis
Alta jacet.

Vel insula quædam, vel pars continentis, America a nonnullis appellata esse videtur. Sebastianus Munsterus eam commemorat inter terras a Columbo et Vesputio repertas: "Hispanam, Joannam, Spagnollam, Cubam, Isabellam, Antiglias, Canibalorum terram, Americam."—Grynæi novus orbis.

P. 101. v. 3. Turribus altis.—"In insulam incidunt Jucatanam *(peninsula est.)* Oppidum in litore situm adeunt, magnum adeo, ut Cayrum illud nostri dixerint. Ingressi summa sunt repleti admiratione; *turritas* domos, templa magnifica,—reperiunt." Pet. Martyr de insulis nuper repertis, in Grynæi nov. orb. p. 497.

P. 102. v. 15. Ophyræ.—Quum igitur Admirans (Columbus) in insula Hispana adhuc ageret, alii appellant hujusmodi insulam Offiram, quam nonnulli eam esse adseverant, cujus commeminit sacra vetus historia libro Regum tertio, &c.—Christ. Columbi navigatio, Gryn. nov. orb. p. 72.

AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM.

P. 111. "Marcum Antonium, Joannem Baptistam, et Rhaimundum Turrianos, nobilissimos fratres Veronenses præcipue coluit." Vit. Fracast.—Astronomiæ Joannes Baptista operam dedit: in qua scientia ei se plurimum debere Fracastorius ipse testatur. De Homocentricis, c. 1. init.

P. 114. v. 17. Syphilus.—*Sipylus* scribendum, Phrygiæ mons.

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM ET GALEATIUM FLORIMONTIUM.

P. 115. Galeatius Florimontes obscuris natalibus Sessæ ortus, sed ingenii doctrinæque præstantia, ac probitate elegantiaque morum clarissimus, primum Alphonso Ávalo fuit a consiliis, deinde ex Giberti intimis familiaribus, postremo a Paulo III. legibus Canonicis solutus, quibus vitio natalium ab Episcopatu prohibebatur, factus est Aquini episcopus, atque inter quatuor Judices Concilii Tridentini cooptatus. Julius III. hujus opera in conscribendis Epistolis usus est, eumque ab Aquini Sede ad patriæ episcopatum traduxit. Post Julii III. mortem cum Florimontes Sessam se recepisset, iterum a Paulo IV. Romam evocatur, ut una cum episcopo Carpentoractensi ad res ecclesiasticas componendas proficisceretur in Galliam. Quo mupere perfunctus cum fuisset, Sessam rediit, a qua ecclesia ne amplius divelleretur, Archiepiscopatum Brundusinum, a Philippo II. Hispaniarum rege sibi oblatum, constanter recusavit. Denique admodum senex, cum paulo ante episcopatu se abdicasset, summum anno 1567 moriens bonis omnibus desiderium reliquit sui.—Ferunt Florimontem auctorem fuisse Joanni Casæ amicissimo homini perelegantis illius libelli concinnandi, qui Galathæus inscribitur. Bonamic. de Pontif. Epist. Script.

In Sadoleti epistola ad Florimontium hæc leguntur. " Quæ tu de sacris literis, deque earum summis doctoribus ad me scribis, ea mihi vehementissime probantur. Omnis enim nostra salus, omnis beatæ et immortalis vitæ spes, in illo potissimum studiorum genere posita est. In quo vero aspernari videris philosophiam, et gravissimos illius autores rejicere, id mihi tecum convenire non potest. Ego enim cum me ex illius studio non admodum hebetem sentio esse factum, tum vero sic statuo, non lapidem lapidi, neque parietem fastigio ullum tam congruere, quam theologiæ et divinis literis philosophiam. T. 1, p. 269.

P. 115. v. 4. Campense magistro.—Psalmorum Paraphrasin scripsit.

AD FRANCISCUM TURRIANUM.

P. 118. Franciscus Raymundi Turriani fratris filius fuit, vir eruditus et Flaminio carissimus. Qualem de eo spem Flaminius habuerit, in carmine eleganti ostendit. L. 5. c. 36.

——— Puer bonarum
Cura Piéridum; puer Catullo
Suo municipi futurus olim
Par, aut major.

P. 118. v. 10. Caphiis in montibus.—Est Caphius mons ad radices Baldi quindecim millia passuum Verona distans, inter Athesim et Benacum medius. Vit. Fracast. Vid. p. 124. v. 15.

P. 118. v. 21. Juli.—Julii Romani. Vid. not. ad. p. 284. v. 16.

P. 120. v. 26. Battus.—Joannes Baptista Turrianus.

P. 121. v. 4. Tartarus.—In agro Veronensi oritur.

IN MORTEM ALIPRANDI MADRUTII.

P. 121. Tridentinus fuit, Christophori Madrutii Cardinalis frater, de quo scripturi sumus in not. ad p. 277. Sadoletus in epistola ad Christophorum, "Explevit (ait) suæ ætatis cursum, si non annorum numero, at certe rebus gestis, et magnitudine honorum, quos summa cum laude est adeptus." T. 3. p. 458.

De illo etiam Bernardus Chioccus, de Fratris Apologia pro Fracastorii Syphilide; "Fracastorius (ait) de illustrissima familia Madrucia et præclare sensit, et optime est meritus; præsertim cum de generosissimo illo Aliprando Madrucio, quo nullus fuit Carolo V. in tractandis armis acceptior, nullus bellicæ laudis honore præstantior, pulcherrima illa effudit carmina (in quibus Virgilium ipsum spirare dixeris) quibus Cæsarem Augustum illius fortissimi viri obitum deplorantem fingit, cum egregiam sibi semper operam in bellis gerendis navasset."

AD ALEXANDRUM FARNESIUM.

P. 122. Alexander Farnesius ex nobilissima Farnesiorum familia, quæ principem inter Romanas locum obtinet, ex Petro Aloysio Parmæ ac Placentiæ Duce, et Hieronyma Ursina pari generis claritate fœmina, anno 1520. natus, optimisque disciplinis et moribus ab ineunte ætate egregie ac liberaliter institutus, anno 1534 a proavo suo Paulo III. Cardinalis est renunciatus. Tanta dignitate auctus optimus adolescens, magnam quam de se excitaverat expectationem subsequentibus temporibus non modo sustinuit, sed etiam longe cumulateque superavit. Quod multæ ab eo res præclare gestæ testantur. Cæterum magnopere litteras Farnesium coluisse, literatosque viros magni fecisse, patet ex his quæ Hieronymus Fracastorius, Franciscus Marius Molsa, Laurentius Gambara, Marcus Antonius Flaminius in carminibus; Jacobus vero Sadoletus, Petrus Aretinus, Ferrantius Gonzaga, Scipio Tolomæus, Aldus Manutius, Petrus Victorius in Epistolis, aliaque præclarissima illius ævi lumina de eo scriptis testata reliquerunt. Obiit Romæ anno 1589. ætatis suæ 70.—V. A. Constant. in Epistolis Sadoleti. T. 2. p. 350.

Digna sunt, quæ legantur, verba, quibus Sadoletus gratulatus est Alexandro, in Cardinalium numerum cooptato. "Gratulor igitur tibi, et ex animo gratulor; quod tum honore isto quo es affectus, tum etiam spe quam de te eximiam summæ virtutis præbes, magnum in te præsidium simul et ornamentum, cum ætas nostra habitura esse videatur, tum Christiana universa Respublica. Non enim tibi a tantis initiis, talibusque profecto, exiguum quicquam aut mediocre spectandum est; neque opes atque imperia eo pertinent, ut angustis finibus vel actionum vel temporum, magnorum virorum animus includatur. Sed tibi de te ipso sic meditandum jam et constituendum est, ut ita te instituas atque appares, quo tua præstans virtus ac nobilitas et publice omnibus et privatim possit esse emolumento. Hæc enim vera dignitas est, veraque amplitudo, sic se exhibere

cæteris, ingeniique et autoritatis opes ita expositas omnium temporibus habere, ut ad alios tuorum laborum fructus, ad te ipsum lætitia animi voluptasque perveniat. Quam recte agendi vitæ rationem qui secuti non sunt, ii non tam honore ipso, quam vanis insignibus honoris habiti sunt ornati; sæpe eos exitus habent, quos grave est mihi commemorare, tibi autem videre et intelligere in promptu est." Ibid.

Expectationem de se concitatam magnopere sustinuit. De ejus quidem in literas meritis testis satis idoneus est Petrus Victorius. Epist. l. 4. p. 95.

"Ut enim omittam Farnesiæ domus splendorem, avique tui egregiam voluntatem, semperque paratum animum ad omni genere liberalitatis optimarum artium studia adjuvanda, quis nescit, quanto studio tu semper ornaris doctos et eruditos viros? et quantopere dignitas eorum commodaque curæ tibi fuerint; nec tantum quum vivente adhuc Paulo III. optimo sapientissimoque sene, neque satis unquam laudato Pontifice, florentibusque tuis rebus, concursus ad te cunctorum litteratorum fiebat, eorumque omnium, qui in aliqua honesta arte cæteris præstabant, quibus omnibus præsidio eras, in eosque alacri animo gratiam tuam benignitatemque conferebas, sed etiam reliquis temporibus ac duriore quoque tua fortuna: nunquam enim destitisti fovere optima studia, semperque domus tua plena fuit eruditorum hominum, et in omni genere litterarum magnopere celebratorum."

P. 125. v. 7. Optimis profecto numeris egregium juvenem Poeta laudat, vel antiquo Latio forsan dignis.—Vid. etiam p. 128.

P. 125. v. 9. Nec jam Roma.—De eadem re conf. elegantissimum Flaminii Carmen, p. 153.

P. 125. v. 20. Cæsaris.—Caroli V.

P. 125. v. 25. Fratremque tuum.—Ranutius Farnesius Romæ natus est anno 1530. Hunc etiam Paulus III.

Ad summos meritum ante annos evexit honores,
Et sacri gestare dedit decora alta galeri.

Cujus quidem honoris dignitatem optime sustinuit. Ad meliorem vitam juvenis migravit, annos quinque et triginta natus. Vid. Sadoleti Epist. T. 3. p. 415.

P. 126. v. 7. Œnus.—Hodie *Inn*.

AD EUNDEM.

P. 127. Paulus III. nobili Farnesiorum genere natus est anno 1468. Optimis artibus ac moribus institutus, primum Romæ Pomponio Læto præceptore, postea Florentiæ in Academia Laurentii Medicei, adeo in literarum studiis profecit, ut adolescens Ciceronis Epistolas ad Atticum declarationibus illustraverit. Innocentio VIII. Pont. Max. Romam reversus, Rodericum Borgiam Cardinalem præcipue coluit. Eo ad summi Pontificatus fastigium evecto, Cardinalis factus est. Quo in munere morum suavitate et rebus præclare gestis tantum adeptus est nomen, ut anno 1534. post Clementis VII. obitum miro omnium purpuratorum consensu summus Pontifex fuerit renunciatus. Obiit Romæ anno 1549, ætatis 81.—Vincent. Alex. Constantius in Sadoleti Epistolas, T. 2. p. 262.

Sadoletus in Epist. ad Lazarum Bonamicum, T. 2. p. 472.—"Quod de Paulo III. optimo maximoque Pontifice et sentis præclare et prædicas; certe, mi Lazare, hoc novum exemplum a præstantissimo Pontifice in Rempublicam introductum est, vel revocatum potius ex ipso more majorum, et longo intervallo repetitum, ut in mandandis honoribus non gratiæ, sed virtutis ratio habeatur. Quod in meis Collegis maxime patet. Quis enim est eorum non singularibus atque eximiis virtutibus ornatus et præditus?"

Doctrinæ et literarum rationem habuisse Paulum Cardinalibus deligendis testantur plurima eruditorum hominum nomina, Gasparis scilicet Contareni, Jacobi Sadoleti, Petri Bembi, Reginaldi Poli, Rodulphi Pii, Federici Fregosii, Marcelli Cervini (postea Pont. Max.) Gregorii Cortesii, &c. Vid. Tiraboschi, T. 7. p. 22.

AD JULIUM III.

P. 130. Joannes Maria Montius (del Monte) Concilio Tridentino anno 1550. Pauli III. nomine præfuit; eidem in Pontificatu Maximo successit, Julii III. nomine adscito. Ortus in Urbe Aretina anno 1488, obiit Romæ anno 1555. V. A. Constant. in Sadoleti Epist. T. 3. p. 71.

P. 130. v. 22. Suessani.—Suessa Aurunca, hodie *Sezza*, oppidum est in finibus Campaniæ situm. Qua in regione Liris fluens prope Caietam in mare defertur. Suessa patria fuit Galeatii Florimontii, de quo vid. not. ad p. 115. Idem Anthus Græco nomine in hoc carmine dicitur. Aquini tunc temporis erat Episcopus, quod oppidum est Latii, haud longe a Suessa positum.

P. 132. v. 9. Mons ille arduus.—Ad nomen Pontificis alluditur.

NOTÆ IN NAUGERIUM.

IN VANCIUM VICUM PATAVINUM.

P. 141. v. 9. Decent.—Lacunam hac voce explent editiones.

DE PATAVIO A MILITIBUS VASTATO.

P. 142. "Quam urbis nobilissimæ faciem bello illo, quod potentissimis Europæ regibus contra Venetos acerrimum gestum

est, nonnihil a Germanis militibus deformatam ægre admodum tulit, elegantique poemate deploravit." Vulp. in Naugerii vita, p. 22.

GENETHLIACON PUERI NOBILIS.

P. 146. Pueri hujus nobilis pater fuit Bartholomæus Alvianus, a scriptoribus nonnullis Livianus dictus; qui cum Venetarum copiarum imperator esset, inter armorum strepitus literas et literatos homines magnopere coluit. Naugerius, cum in morbum incidisset, in Liviani (ut Vulpius narrat) "contubernio vixit, fortissimi sane viri, sed adversa sæpius fortuna usi; quem tanquam exemplum veteris disciplinæ unice admirabatur, fatoque suo functum illustri Oratione laudavit. Livianus contra Naugerium diligebat, jampridem in Academiam suam cooptatum, quam ipse ad Portum Naonis *(Pordenone)* constituerat, occluso propter bellorum calamitatem Patavino Gymnasio. Fluit ibi Naucelus fluvius *(Noncello)*, quem antea contemtum atque ignobilem Academia nobilitavit." Nauger. Vit. p. 26. Ad Academiam istam Fracastorius etiam, aliique docti viri confugerunt.

P. 148. v. 15. Ille olim magnos.—Vid. Naugerii Orat. in funere Barth. Liviani.—"Bello illo, quod inter Gallos atque Hispanos super Neapolitano regno acerrimum fuit; eo prælio, quod ad Lirim gestum est, Hispanis adfuit. Longe superiores numero Galli erant; objecerant se tamen illis Hispani, quo transitu fluminis prohiberent.—Ille pontem in Liri paucissimis diebus, semota quadam parte, tam secreto, ut id Galli nunquam rescierint, conficit; magno silentio exercitum traducit; hostes viribus suis confidentes, ac nihil tale suspicantes, de improviso adortus in fugam vertit. Tanta cædes facta, ut, qui e bello superfuerint, deditionem facere coacti sint.—Germanico bello, quum omnes in nos aditus effera illa gens tentaret, omni ex parte in nostros fines irrumpere conaretur, Cadubriensi

cruento illo prælio non solum compescuit, sed et multa eorum oppida vi cepit; atque eo tandem redegit, ut potius, quemadmodum sua tuerentur, quam, ut aliena invaderent, cogitarent."

P. 148. v. 23. Fallaces abrupto fœdere Gallos.—Vaticinium hoc infelicem exitum habuit. In eadem oratione Naugerius, "Funesto (ait) illo prælio, quod ad Abduam gessimus, captus est; sine ulla exeundi spe custodiæ traditus, ibi per quadriennium fuit. Quid interea? Languori se dedit? Magnum illum animum querelarum sordibus inquinavit? nihil minus; videte, qua tranquillitate fuerit; rerum suarum commentaria, aliquot de re militari libros, unum de instruendo exercitu, conscripsit."

NOTÆ

IN

M. ANTONIUM FLAMINIUM.

DE DELIA.

P. 150. Imitatur elegantissimum Petrarchæ carmen, quod incipit, *Chiare, fresche, e dolci acque.*

AD ALEXANDRUM FARNESIUM.

P. 155. v. 3. Mapheus.—Bernardinus Mapheus, sive Maffæus, Romæ natus est. Romanæ antiquitatis amator fuit, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam valde illustraverit eo volumine, quod de inscriptionibus et imaginibus antiquorum numis-

matum scripsit. Quam vero fuerit veterum, et oratorum, et poetarum excellens imitator, ex epistolis, orationibus, et carminibus cognoscimus, iisque animadversionibus, quibus explicavit Ciceronem, exemplum in scribendo unicum suum. Quum aliquot annos Alexandro Farnesio Cardinali, Pauli III. Pontificis Nepoti, operam suam in conscribendis epistolis probasset, ab eodem Paulo III. Canonicus S. Petri, Episcopus Massensis, Secretarius suus, ac demum Cardinalis factus est. Morum sanctitatis nullum afferre majus testimonium possumus, quam quod S. Ignatii amicissimus fuerit. Magnum denique sui desiderium reliquit, quum, quadraginta nondum annos natus, Romæ obiit anno 1552. Ph. Bonamic. de Pontif. Epist. scriptoribus. p. 229.

P. 155. v. 4. Mirandula.—De eo vid. not. in p. 157.

P. 155. v. 4. Romulus.—Romulus Amasæus Bononiis oriundus, sed Utini in Carnia natus anno 1489. Venetiis humanioribus literis operam dedit, Græcamque didicit linguam a Joanne Calphurnio Brixiensi; quem Patavium secutus, Musurum audivit. Bononiam deinde profectus, ex discipulo doctor factus, domi ludum aperuit, tantaque nominis celebritate Græcas Latinasque literas docuit, ut paulo post Secretarii Senatus honestum obtinuerit munus, uxoremque duxerit nobilem ex familia Guastavillana. Patavium inde ad Græcos publice explicandos auctores accersitus, Bononiam postea rediit: donec Romam a Paulo III. evocatus, eloquentiam docuit, annuo sexcentum nummum aureorum stipendio decreto. Ab eo Pontifice, quum Alexandro Cardinali præceptor esset datus, adeo ea ex re non modo doctrinæ fama, sed etiam auctoritate et prudentia crevit, ut ad Imperatorem, Germaniæque principes, et ad Poloniæ regem magnis de rebus a Pontifice missus fuerit. Paulo e vivis erepto, Julii III. Pont. Max. secretarius fuit. Mortuus est anno 1552. Pausaniæ Descriptionem Græciæ, et Xenophontis de Expeditione Cyri libros septem Latine vertit; quod tamen majore elegantia præstitisse existimatur, quam fide. V. A. Constant. in Sadoleti Epist. T. 2. p. 478.

AD PATREM MORIENTEM.

P. 157. Joannes Antonius Flaminius Imolæ natus est ann. circiter 1464. Bononiam studiorum causa se contulit, postea Venetias; ubi Merulæ, Vallæque, et aliorum optimorum præceptorum ope maximos in litterarum studio progressus fecit. Annum vicesimum vix ingressus, adscriptus fuit Pomponii Læti Academiæ. Seravallenses in Tarvisinis, eruditionis ejus et sapientiæ fama permoti, ipso vicesimo primo ætatis anno accivere, qui litteras humaniores publice profiteretur. Seravallum profectus, ita se civibus universis acceptum et carum exhibuit, ut nemo esset, qui Flaminium summopere non diligeret. Ibi Veturiam nobilem adolescentulam uxorem duxit. Novennium Montagnanæ docuit; sed, cum uxoris valetudini consuleret, Seravallum reversus est. Quo a militibus capto et direpto, incredibile dictu est, quantam cum librorum et lucubrationum suarum, tum etiam rei familiaris jacturam fecerit. Imolam inde confugit; et complures annos in patria invitus, et a parentibus ac propinquis, immo a tota civitate coactus, honestissimum subiit instituendæ juventutis onus; quo tandem se abdicavit a suis Seravallensibus revocatus. Dici non potest, quantum vel apud remotiores fama clareret, quantum in ore omnium esset. Quo factum est, ut complures ex nobilioribus Italiæ viris suos ad eum liberos instituendos miserint; quos inter Alphonsum habuit Gasparis Elephantùtii Bononiensis, genere et opibus clari, præstantissimum filium. Denique cum eo juvene, reliquisque contubernalibus, Bononiam commigravit; eosque in ipsa Gasparis domo edocuit, aliis quoque nobilium liberis receptis. Mortuus est anno 1536 octogenarius, Paulo III. Pontifice. Quam vero in pueris informandis diligentiam adhibuerit, ac fidelitatem, ex eo conjicere quisque potest, quod ducenti et amplius ex illorum pene infinito numero, quos edocuit, tam intra, quam extra Italiam, multa cum laude vixere, et in viros non mediocriter doctos evaserunt.—Ex

Jo. Antonii Vit. a Dominic. Jos. Capponio scripta, in Epistolarum ejus editione.

AD ANTONIUM MIRANDULAM.

P. 157. Antonius Bernardus Mirandula Philosophiam Bononiæ publice docuit; postea Casertæ episcopus fuit. Cum de singulari certamine, utrum religioni et bonis moribus consentaneum esset, complures docti decertarent, hoc contra jus et fas esse permagno volumine Mirandula contendit. Vid. Tirabosch. T. 7. p. 535.

AD CÆSAREM FLAMINIUM.

P. 161. Julius Cæsar Flaminius M. Antonii patruelis fuit; qui patruo optimo, Joanne Antonio, præceptore usus, bonis literis feliciter operam navabat. Is poetæ præstantissimi carmina Lugduni apud Sebastianum Gryphium diligentissime imprimenda curavit. M. A. Flam. Vit. p. 27.

DE REGINALDO POLO.

P. 162. Quantum apud Italos omnes, virtute et sapientia præditos, Reginaldus gratia valuerit, nemo profecto nescit, nisi cui temporum illorum historia omnino sit incognita. Haud tamen injucundum lectoribus fore arbitrampr, si ex ejus Vita, a Dudithio eleganter conscripta, nonnulla hic loci excerpserimus, quæ multorum erga eum benevolentiam et amorem testantur. " Illud quidem silentio præterire non possum, quod Christophorus Madrutius, Card. Tridentinus, vir magno ingenio et prudentia, qui illum etiam Sanctum Polum nominare solet, frequenter in ore habet; duas sibi res magnæ gloriæ loco ducere, unam quod Carolo V. Cæsari operam navaverit, alteram quod Card. Polum noverit, et amicum habuerit. Magna ei cum plurimis viris et pietate et doctrina insignibus, consuetudo fuit. In Cardinalatu, præ-

ter cæteros, familiarissime usus est Contareno, Bembo, Sadoleto, Morono, Mafæo, optimis et ornatissimis Cardinalibus; Galeatio item Florimontio, Suessæ episcopo, homine cum omni doctrinæ genere perpolito, tum vero singulari quadam integritate ac morum suavitate prædito, quem vetere Polus consuetudine et amore sibi conjunctissimum habebat. Erant alii præterea docti ac pii viri, quibus magna cum Polo familiaritas atque usus intercedebat. In his principem locum facile obtinebat Ægidius Fuscherarius, qui tum Romæ Sacri Palatii Magistrum, ut vocant, agebat, nunc est Mutinensum Episcopus, vir pietate ac divinarum litterarum scientia præstantissimus. Victoria Columna, Marchionis Piscariæ conjux, ejus, qui ob rerum gestarum magnitudinem bellica gloria maxime floruit, magni ingenii et summæ pietatis fœmina plurimi eum faciebat; moriens etiam novem millia aureorum nummum legavit, quam tamen Polus pecuniam attingere noluit; sed ejus fratris Ascanii filiæ, quæ postea in matrimonium data est Garziæ Toletano, Pro-Regis Neapolitani filio, donavit, et simul cum reliqua ejus dote numerari voluit. Rem præclaram sane, excelsique et liberalis animi, nec horum temporum aut morum." In Poli epist. a Quirino editis. Pars 1. p. 64.

DE GASPARE CONTARENO.

P. 162. Opus hic laudatum inscribitur *De magistratibus et republica Venetorum.* Natus est Gaspar Contarenus Venetiis clara et nobili in primis gente anno 1483. Puerilibus disciplinis domi instructus, ad graviores scientias Patavii animum appulit, in quibus adeo excelluit, ut et diserti Oratoris, et eximii Philosophi, et Theologi summi nomen brevi tempore fuerit adeptus. Tantis doctrinæ ornamentis accessit rara quædam morum integritas atque suavitas qua omnes facile pertrahebat in admirationem ac benevolentiam sui. Itaque statim ac ei Rempublicam capessere per ætatem licuit, ita hominis sapientissimi virtus enituit, ut nondum ætatis annum tertium ac tri-

gesimum egressus, Orator ad Carolum Cæsarem a senatu missus fuerit. Erat tunc Cæsar Venetis iratus, quod Gallis ex fœdere inito suppetias præberent. Quem tamen Contarenus prudentia ac dexteritate sua sic sibi devinxit, ut non modo eo pacato et facili semper fuerit usus, verum etiam benevolo. Cæsarem sequutus, Germaniam, Belgium, Hispaniamque peragravit. In patriam reversus, Senatui primum adscriptus, mox in ordinem sapientum, qui continenti Veneto præest, cooptatus, anno demum 1527 Concilio principum Italorum Ferrariæ indicto Reipublicæ nomine interfuit, Venetiasque rediit. Ibi dum muneribus senatoriis obeundis egregiam ac laudabilem patriæ civibusque suis operam præstat, absens et nil tale cogitans, in sacrum Cardinalium ordinem a Paulo III. P. M. relatus est anno 1535. Ab eodem postea legatus de latere in Germaniam maximis de rebus missus est. Obiit Bononiæ anno 1542; cui civitati, Pontificis nomine, summo cum imperio præerat.—V. A. Constant. in Sadol. Epp. T. 3. p. 138.—Vitam Contareni Joannes Casa scripsit, una cum operibus ejus editam.

AD STEPHANUM SAULIUM.

P. 163. Stephanus Saulius Genuensis fuit, ex opulenta Sauliorum familia. Literas summopere colebat; egregius ipse scriptor, si Paulo Manutio fides habenda est.—" Oblitusne es, aut oblitum me putas, illius temporis, cum tu librum tuum *de Homine Christiano* mihi ostendisti? bone Deus, quam in illo multa præclara? cujus industriæ, cujus prudentiæ! quam copiose, quam splendide tractata! Neque vero ego unus illum librum, videre alii; vidit, qui vir et quantus, Reginaldus Polus Cardinalis, qui potest esse instar omnium, quem tu profecto judicem in re tua nunquam recusabis. Hunc ego audivi, audivere multi, de tuo interdum libro loquentem: ornabat laudibus; (et est homo, ut scis, natura simplex, rectus, cujus ab intimo sensu nunquam, ne minimum quidem, aut vultus, aut

oratio discrepet;) quid plura? conferendum cum antiquitate judicabat."—In Pauli Manut. Epist. ad Saulium.

AD HIERONYMUM TURRIANUM.

P. 168. v. 3. Victoria.—Hujus sanctissimæ et prudentissimæ fœminæ ea vis ingenii, ea pietas, ea eruditio fuit, ut non immerito summis optimisque sui temporis viris carissima semper extiterit. Conjux Ferdinandi Francisci Davali Piscariæ reguli (ejus qui ob rerum gestarum magnitudinem bellica gloria maxime floruit) virum suum et vivum singulari quodam amore est prosequuta, et mortuum elegantissimo poemate laudavit. In primo enim ætatis flore marito orbata, quum propter generis nobilitatem, egregiasque animi corporisque dotes nullius conditionis non haberet potestatem, nunquam novis nuptiis animum adjicere voluit. Extremis suæ vitæ temporibus, cunctis humanarum rerum curis prorsus valere jussis, apud virgines Deo sacratas sese abdidit. In poetica præsertim facultate enituit, ut Italica ejus carmina ostendunt; quibus in carminibus Franciscæ Petrarchæ elegantiam, vim, ac suavitatem mirifice Victoriam expressisse omnes fatentur.—V. A. Constant. in Sadolet. Epistt. T. 3. p. 217.—Ad vitam meliorem Victoria migravit anno 1547. Bembum, Sadoletum, Contarenum, Polum, Flaminium, aliosque doctissimos viros amicos habuit. Ea laudanda admodum delectari Areostus videtur. l. 37. Neque a scriptoribus solum posteris commendatur; verum a magno Raphaele etiam picta conspicitur summos inter poetas, quorum imaginibus divina quadam arte Vaticanarum ædium parietes ornavit.

AD GALEATIUM FLORIMONTIUM.

P. 170. v. 9. Flaminius apud Joannem Franciscum Casertam, amicum suum, tum diversabatur. Agrum ejus prope Casertam, quæ urbs Campaniæ est, alibi etiam summopere laudat. l. 6. c. 20.

Ista vestra
Tam felicia, tam venusta rura
Quem non alliciant suo lepore?

AD PETRUM CARNESECUM.

P. 172. Petrus Carnesecus Florentinus Romanæ Ecclesiæ superstitione se liberare ausus est, et ad meliorem Dei cultum transire. "Fuit (ut Bonamicius narrat) cum forma exithia corporis, tum ingenio propemodum singulari. Itaque quas vehementer appetebat principum virorum amicitias ac familiaritates, facile consequutus est. Clementi VII. a secretis cum esset, totum ferme ipsius Pontificatum administrasse memoratur. Ter violatæ Religionis factus est reus; primum sub Paulo III. apud quem cum se rite purgasset, absolutus est; iterum sub Paulo IV. a quo sibi admodum metuens, Romam, quo accersitus erat, venire recusavit; tertio denique sub Pio V. capite pœnas dedit.". p. 229.

AD CHRISTOPHORUM LONGOLIUM.

P. 174. Christophorus Longolius natus est in urbe Mechliniensi anno 1488. Patrem habuit Antonium S. Pauli Leonensis episcopum. Lutetiam Parisiorum deductus, ibi scientias omnes excoluit, studia scilicet humaniorum litterarum, penitioris antiquitatis, idiomatum peregrinorum, juris, medicinæ, theologiæ. Italiam, Hispaniam, Germaniam, Angliam peragravit. Eum Leo X. Romæ libenter excepit, atque, ut orantem audivit, de ejus eloquentia magnifice sensit. Joan. Hieron. Catena in Opp. Gregorii Cortesii. T. 2. p. 25.—Erasmus in epistolis suis Longolii laudes passim celebrat. Itali complures, ingenio et doctrina insignes, maximo eum amore et benevolentia prosequebantur. Quorum in numero erat Gregorius Cortesius, vir literarum studio et morum sanctitate clarus. "Quis enim (ait) absque incredi-

bili dolore audire posset, in ipso flore ætatis (nondum enim trigesimum annum attigerat) in maxima omnium de se expectatione, in medio studiorum cursu, præclaram illam ad omnes virtutes animi indolem, illud immortalitate dignissimum ingenium, immatura sibi cæterisque morte sic repente ereptum esse, ut ostensus tantum, non etiam præstitus huic sæculo fuisse videatur; et tum præcipue, cum admodum pauca scripsisset, incepisset multa, pararet plurima, quibus si extremam manum per ætatem imponere licuisset, aliquid certe hac tempestate vidissemus, quod posset cum omni antiquitate comparari. Mirabamur siquidem in eo omnium pene disciplinarum non mediocrem cognitionem, de quibus sic eleganter et copiose disserebat, ut qui audiebant, dubitare se dicerent, quam potissimum profiteri videretur. Adolescens enim jurisconsultis in Gallia operam dederat, Græcam demum linguam didicerat, Romæ Latinam excoluerat. Philosophiæ vero et Mathematicis Patavii nunc tanto studio incumbebat, ut, doctorum judicio, eos qui magnos in eo genere progressus habebant, longo intervallo superaret. Qui autem domestica hominis consuetudine utebantur, facile meminerunt, quam scienter de plantis, de piscibus, de lapidibus loqui consueverit, cum nomina cum antiqua, tum etiam ea quibus nunc utimur, vimque et proprietatem unicuique redderet. Sic igitur tibi persuadeas velim, Gallias nostras hujus interitu tantum amisisse, quantum nunquam fortasse antea desiderare ausæ fuissent. Greg. Cortesii opp. T. 2. p. 104. Vitam ejus Polus conscripsit.

P. 174. v. 24. Stephani.—Saulii scilicet, cujus in villa amœnissima Longolius commorabatur. Hospitis sui eruditi humanitatem ipse in epistola testatur. "Vivo hic in studiis nostris cum Stephano Saulio, viro ea erga me liberalitate ac benevolentia, ut in re familiari sua nihil suum esse malit quam meum; ea animi moderatione, ut cum me hospitio receperit, inde magnam se arbitretur, atque etiam præ se ferat, existimationem accipere." Apud Tirabosc. T. 7. p. 179.

AD DOMINICUM SAULIUM.

P. 176. Genuensis fuit Dominicus, ex eadem, qua Stephanus Saulius, familia. Extat epistola ejus ad Flaminium. Nihil aliud de eo compertum habeo.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM.

P. 176. Ludovicus Beccatellus Bononiæ nobili genere ortus est anno 1501. Optimis disciplinis in patria primum excultus, jurisprudentiæ, Carolo Ruino præceptore, operam dedit. Inde Patavium profectus, adeo in Græcis Latinisque literis profecit, ut doctorum virorum gratia in ea urbe unus omnium maxime floruerit. Nam Petro Bembo, Reginaldo Polo, Lazaro Bonamico familiariter usus est, et apud Gasparem Contarenum adeo auctoritate valuit, ut Cardinalis factus, Beccatellum omnium suorum consiliorum participem esse, semperque secum, quoad vixit, tum Romæ, tum in Germania, tum Bononiæ eum habere voluerit. Contareno e vivis erepto, apud Joan. Moronum Cardinalem eodem gradu fuit; tum a Paulo III. ad efformandos Ranutii Farnesii mores adlectus, atque ad alia gravissima negotia cum Romæ, tum Tridenti in Synodo adhibitus, tantam prudentiæ ac integritatis famam sibi comparavit, ut Julius III. statim ac Pontificatum iniit, illum Apostolicum nuntium ad rempublicam Venetam miserit. Quo munere egregie perfunctus, Cardinali Moreno in Germaniam Legato additus comes, comitiis Augustinis interfuit. Inde reducem Paulus IV. Epidaurensibus sacris Archiepiscopum in Dalmatia præfecit, Tridentinoque Concilio, Pio IV. Pont. Max. interfuit. Demum a Magno Etruriæ Duce Florentiam accersitus anno 1563, sacerdotio Pratensis in Etruria ecclesiæ ditatus est, ibique anno 1572 extremum diem obiit. V. A. Constant. in Sadolet. Epistt. T. 2. p. 431.

AD HONORATUM FASCITELLUM.

P. 178. Honoratus Fascitellus Iserniensis, nobili familia natus, anno ætatis 17 monachus Casinensis Cœnobii factus, in Græcis, humanis, divinisque literis versatissimus fuit, et poeta insignis. Laudatur a Bembo, Joanne Casa, Flaminio, aliisque doctissimis viris; quumque ob egregias virtutes, Julii III. Pontificis notus et familiaris esset, Insulana infula condecoratus est, præceptorque datus Innocentio Montio Cardinali in Pontificis familiam adoptato. Interfuit Concilio Tridentino. Romæ obiit anno 1564, quum jam antea Episcopatu se absolvisset. Ughelli Ital. Sacr. T. 9.

Paulus Manutius in epistola præfixa suæ Lactantii editioni, ab Honorato Fascitello correctæ et auctæ, post multas Fascitelli laudes, hæc subjungit. " Non enim facile dicam, plusne humanitatis in optimo juvene, an eruditionis inesse perspexerim. Sed certe cum alteram acceperit ab ipsa natura, alteram diligentia, vel summo potius quodam ingenio sit consecutus, in utraque ita præstat, ut anteponendus nemo, conferendi vero quam paucissimi sint. Non pauca tum Græce, tum Latine ab illo scripta amici legimus. Quid elegantius? quid purius? quid magis aut sententiosum, aut proprium? Versus facit; Musas ipsas non aliter loqui credas. Conscribit aliquid soluta oratione; veterem eloquentiam exprimi melius non posse dicas. De judicii præstantia, de candore animi, de comitate nihil dicam."—E Sannazarii aliorumque editione Cominiana.

AD ALOYSIUM PRIULUM.

P. 183. Aloysius Priulus Patricius Venetus fuit, vir pietate, ingenio, ac litterarum cognitione insignis; qui quum Patavii ab anno 1532 in arctissimam Reginaldi Poli familiaritatem pervenisset, adeo ejus consuetudine captus est, ut neque ullis honoribus, nec dignitate, quæ illi cum in patria sua, in qua summa est ejus familiæ nobilitas atque amplitudo, tum Romæ, non semel

proposita fuit, ab optimi Cardinalis contubernio potuerit avelli. Itaque nunquam a Poli latere discessit, sed omnium ejus itinerum, legationum, laborum, comes ac socius, studiorum item, consiliorum, actionumque particeps semper extitit; adeoque vicissim Polus amicitiam ejus virtutemque magni fecit, ut fratris semper loco habuerit, ac moriens suarum rerum omnium instituerit hæredem. Sed nihil ille ex hæreditate capere voluit præter duos libellos, ex quibus Polus Deum precari solitus erat, Breviarium vocamus et Diurnale. Polo e vivis erepto, Priulus viginti totos menses, quibus illi superstes vixit, in colligendis magno labore ejus rebus, quæ variis in locis disjectæ erant, et in illis summa cum fide distribuendis consumpsit. Obiit anno 1560. V. A. Constant in Sadol. epistt. T. 3, p. 166. et Poli Vit. p. 48.

NOTÆ

IN

MOLSAM.

AD ALEX. FARNESIUM CARDINALEM.

P. 189, Graviscæ.—Etruriæ urbs. Ex Virgilio sunt *intempestæ Graviscæ*, Æn. 10. v. 184. "Quod Graviscas intempestas dixit, situm respexit in humili ac palustri planitie sub montibus Cornetanis a læva Martæ fluminis."—Heynius ad loc.

P. 190. v. 15. Nil unquam studiis.—Nulla unquam comitia

a multis sæculis majore simplicitate, concordia, religione, inita peractaque sunt, utpote quæ ipsi Christiani nominis divi tutelares et principes, nullo livore extracta fædatave, nullo corrupta ambitu, nulloque metu præcipitata, haud dubie rexerint atque finierint. Paucis enim horis et civem optimum, et virtutis opinione lectissimum, uti optarat potius quam sperarat, populus Romanus Pontificem accepit. Non enim syngraphis suffragiorum obsignatis, et de more in sacratam urnam conjectis, sed publico consensu, et præclara voce totius senatus, Pontifex est renunciatus. Jov. Hist. S. T. l. 32.

P. 190. v. 19. Quis dextram everso Clemens.—Sadoletus de hoc pontifice; "Utinam ille quidem (ait) quemadmodum instituerat, probitatem et modestiam, qua mirifice a natura erat præditus, perferre ad extremum, et similis sui semper permanere potuisset; credo mihi, pauca admodum in pontifice illo desideraremus. Sed bello odiisque distractus, quæ non tam suo quidem quam ministrorum, sibi, non domino, servientium, factionibus susceperat, descivit non minimum a more pristino bonitateque naturæ. Litteris quidem tam humanis, quam etiam sacris, ita erat instructus, ut, quod mirabile nobis omnibus videbatur, postquam pontifex factus esset, ita didicerit Latine loqui, ut et longa et gravis facile illi suppeteret oratio, neque sacrum unquam codicem deponeret e manibus." T. 3. p. 107. Quanto Romani ob Clementis mortem gaudio afficerentur, testatur Paulus Jovius. "Sævum enim id bellum, et quo Roma funestius a multis sæculis non sensit, pestilentia prope inevitabilis, dira fames, et prodigiosus Tyberis auctus, accumulatis cladibus excepere; adeo ut omnis ordo et denique populus universus, diu expectata et demum audita ejus morte, magnopere lætaretur; jocatique summa libertate nonnulli gratias agerent Curtio medico, qui firma utentem valetudine, innatoque membrorum robore prævalidum, in multa spe longioris vitæ, novis præceptis et commutata vitæ ratione, dubio procul occidisse credebatur." l. 32.

AD HERCULEM DUCEM FERRARIÆ.

P. 191. Hercules II. optime de literis meruisse traditur; cujus rei testimonio est Joannis Baptistæ Pignæ oratio in ejus funere habita. "Gymnasia, vocatis philosophis, jureconsultis, et medicis, qui primos Italiæ suggestus tenebant, erexit; superba tecta ac templa construxit; collibus, viridariis, nemoribus, rivis, atque hujusmodi amœnis locis, tam pulchre ab illo ædificia sunt decorata, ut natura in hac regione se ab arte fuisse superatam sponte fateatur.—A puero Hetruscam et Latinam purissimam pleno ore hauserat, unaque utriusque linguæ poesim, cui musicam, picturam, et equestre armorum exercitium pulcherrime adjunxerat, magna profecto feracis ingenii ubertate; ac admodum adolescens pro Alphonso patre ad Adrianum orationem habuit, qua aureum illud dicendi flumen pollicitus fuit, quod deinde influxit in aures et mentis penetralia Julii, Marcelli, Pauli utriusque, Caroli, Francisci, Henrici, Philippi, Maximiliani, Senatusque Veneti, cum ad hos principes se contulit, et cum illis tum publicum, tum privatum sermonem fecit." B. Riccii Opp. T. 3. p. 212. De eo Areostus. l. 37. 13.

C'è il Duca de' Carnuti, Ercol, figliuolo
Del Duca mio; che spiega l'ali, come
Canoro cigno, e va cantando a volo,
E fin al cielo udir fa il vostro nome.

P. 192. v. 9. regia conjux.—Ludovici XII. Franciæ regis, filia. Quam magnopere laudat Aonius Palearius in epistola ad Bartholomæum Riccium, cui in disciplinam traditi erant ejus liberi. "Nam quid est, si non hæc verissima gloria est, potentissimi regis filiam, maximi Ducis uxorem, sic versari in studiis nostris, ut excellat? Annam vero et Lucretiam, aureos Herenæa

partus, scrutari interiores literas Latinas et Græcas? quæ cum in matre quoque essent, et eæ neque paucæ, neque vulgares, regina in philosophia hac humana noluit acquiescere, sed ob magnitudinem ingenii et studium sanctitatis, quæ in ista semper veluti divinum aliquid eluxit, maturiore ætate retulit se ad cœlestes artes et disciplinas theologicas." Tiraboso. T. 7. p. 43.

AD ALOYSIUM PRIULUM.

P. 195. v. 20. urbis funera Romuleæ.—Nunquam ab ulla memoria, majore truculentia, vel in barbaros qui Mahometis sectam colerent, vel in perpetuos hostes atque inimicos, vindictæ libidine sævitum est. Nemini enim fuga patuit, quum refugientes non in ipso tantum celeberrimo templo, sed in adytis ante sacrosanctam aram inermes trucidarentur.—In eo strepitu Clemens frustra aversos Deos precibus ad aram fatigans, audito hostium clamore, citato gradu per oblongam duplicis muri munitionem e Vaticano in arcem confugit, gemens et crebro se ab omnibus proditum querens; ita ut toto eo itinere e fenestellis miserabilem nostrorum fugam, et cruenti maxime tumultus faciem, barbarorumque furentium hastas et secures impressas fugientium tergis despectaret. Clementi autem plenis passibus evadenti proximus aderat Paulus Jovius, qui hæc conscripsit, sustuleratque ei ab tergo talaris togæ sinus, ut expeditius iter conficeret, suumque item violaceo colore pallium, et pileum capiti atque humeris injecerat, ne pontifex a candore vestis agnitus, dum aperto demum et ligneo ponte in arcem transiret, a barbaris accuratiore forte glandis ictu sterneretur.—Editæ in omnibus locis ad satietatem in nihil tale meritos inusitatæ cædes, nobilissimi senes pariter ac juvenes tormentis excruciati, violatum ubique matronarum et virginum decus, Vestales in ipsis templis constupratæ.—Feritate et truculentia terribilis erat Germanus, sed a primo impetu, quo armatos deleverat, a gladiis temperabat. Usque adeo remissa animi ferocia, ut exiguo facile pretio liber-

tatem captivis daret, et præsentibus tantum spoliis et compotationibus lætaretur, verteretque demum furorem in templa et antiqui operis statuas, deformando cuncta atque evastando, quod plerique eorum, irrisis pontificum legibus, Lutheranæ dogmata sequerentur. Hispani autem astuta et implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita arcanaque familiarium eruerent, tormentis atque suppliciis in nobilissima corpora grassabantur, tanta auri cupiditate, ut Julii pontificis cadaver multa exesum carie eruere, et annulo spoliare non dubitarint. Vit. Pomp. Columnæ.

AD CAROLUM CÆSAREM.

P. 198. v. 9. Lautas studeam memorare carinas.—Virg. *Æn.* 8. v. 360.

passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire carinis.

Qui in quarta regione locus fuit ab Arcu inde Constantini inter Esquilias et Cœlium procedens, Pompeii, M. Antonii, aliisque magnificis sumtuosisque domibus ornatus; unde *lautæ* Carinæ. Hoyn. ad loc.

PATERNAS SEDES LAUDAT.

P. 201. v. 16. Rodulphe.—Inter præstantes pietatis ac doctrinæ laude viros, qui a Paulo III. in Cardinalium ordinem sunt relati, merito haud postremum obtinet locum Rodulphus Pius Leonelli Carporum Principis filius. Natus enim anno 1500, summam generis nobilitatem tanta divinarum humanarumque literarum scientia, tantis virtutum ornamentis locupletavit, ut adolescens adhuc anno 1527 a Clemente VII. Faventiæ pontifex factus, difficillimis legationibus tum ad Carolum V. tum ad Franciscum I. egregie fuerit perfunctus. Cardinalis vero dignitate auctus, et ad gravissima Sacerdotii ac

ac Imperii negotia a summis Pontificibus Paulo III. Julio III. Paulo IV. Pio IV. et Pio V. continuo adhibitus, adeo præclaram, fidelem, ac diligentem Reipublicæ operam navavit, ut præcipuum in eo Catholicæ Ecclesiæ præsidium atque ornamentum constitutum esse videretur. Obiit Romæ anno 1564. V. A. Constant. in Sadol. Epistt. T. 2. p. 436.

P. 201. v. 30. Julia.—Ea Julia Gonzaga fuit, Vespasiani Columnæ uxor, mulier ob egregias animi corporisque dotes a compluribus ejus sæculi poetis laudata. Molsam carissimum habuit: qui apud eam cum Hyppolyto Mediceo diversari solebat. Parum abfuit, quin a Barbarossa Turcicarum navium præfecto abriperetur: qui rem gratissimam fore Solimano Imperatori existimabat, si mulierem tam formosam ei in manus traderet. Vit. Mols. Segni Ist. Fiorent. T. 1. p. 208. Egregie ab Areosto laudatur. l. 46.

Giulia Gonzaga, che dovunque il piede
Volge, e dovunque i sereni occhi gira,
Non pur ogn' altra di beltà le cede,
Ma come scesa dal ciel dea l'ammira.

DE HIPPOLYTO CARDINALI MEDICEO.

P. 202. Hippolytus Julianum, Laurentii Magnifici filium, patrem habuit. Carissimus erat patruo suo, Leoni X. qui in ejus ore vultuque acquiescere videbatur. Testatur hoc Bembus in Italica epistola ad Dovitium Cardinalem. Quantus autem vir evaserit, quantum se majoribus suis dignum præstiterit in colendis ingenuis artibus, earumque cultoribus regia plane liberalitate tuendis, fovendis, amplectendis, ex multorum testimonio cognosci potest, et præsertim ex Sadoleti epistola, qua ei gratulatus est illius diei celebritate, quo a Clemente VII. in Cardinalium collegium cooptatus fuit. Itaque nemo non ingemuit ejus casum, quod in flore ætatis veneno sublatus fuerit. Fabron. Leon. Vit. pp. 216 et 311.—De Hippolyto in Germaniam legato misso, qui bello adversus Turcas inter-

esset, ejusque in Italiam reditu, pauca e Jovii scriptis excerpta subjicere nobis visum est, quæ tum moribus egregii juvenis illustrandis, tum huic carmini explanando inservire possint. "In eum juvenem alterum et vigesimum agentem annum natura fortunaque certatim maxima dona congesserant. Specie formaque corporis, ac ingenii rara felicitate insignis erat; et super hæc spectacula edendo, donandoque liberalis famam consecutus, adeo studia populi commoverat, ut, suggillata Clementis avaritia, quadam naturæ similitudine Leonis patrui memoriam revocaret. Et opes jam vel insanis ipsius sumptibus pares esse cœperant. Nam ei Clemens, Pompeio Columna ad Neapolim vita defuncto, ejus sacerdotia ac officia, quæ erant amplissima, contulerat; quanquam esset ætatis ac ingenii vigore ad tractanda arma, quam ad obeunda sacra, paratior. Propterea, quum ex lectissimis hominibus comitatum instrueret, aliquanto plures milites, quam togati viri ac antistites, proficiscentem sunt secuti."—De reditu vero, "Interea (ait) Cæsar profecturus, Viennæ edixerat, ut hoc ordine in Italiam iretur; ex primo agmine, cui ipse præesse volebat, Ferdinandus Gonzaga cum levis armaturæ equitibus antecederet; inde Vastius cum Hispanis, et prætoriani equites succederent; interposito autem biduo subsequeretur Hippolytus legatus, cum toto legatorum sacerdotumque et togatorum ordine, quorum omnium comitatus erat amplissimus; tertium et postremum agmen, in quo Albanus regulus cum Hispanico equitatu erat, Germanorum legiones clauderent. Sed hunc ordinem militari consilio constitutum Hippolytus abrupit, juvenili quadam impatientia levitateque, quum natura fervido et volucri ingenio ulla in re nullam moram ferre, et nulli, uti accidit in amplissima fortuna, parere didicisset, adulantibus præsertim clientibus nonnullis et centurionibus, quos incredibili sumptu sibi adsciverat. Ii enim eum insana libidine militare imperium affectantem, tanto exercitu ad maximas res ingenti ausu gerendas dignum esse dictitabant. Ita, optimo quoque familiarium frustra deprecante, relicta

sacerdotali purpura, galeroque, quem maxime fastidiebat, ferina pelle contectus, cum paucis armatis equitibus præcurrit." Hist. S. T. l. 30. Obiit anno 1538, ætatis 24.—Vid. Varchi, Storia Fiorentina, l. 14. p. 537.

P. 206. v. 6. An *sibi* legendum pro *tibi*?

NOTÆ

IN

VIDAM.

P. 207. v. 11. Primus ades, Francisce.—Hic juvenis Francisci I. filius, natus est anno 1518; e vivis excessit anno 1536, summo cum omnium dolore. Tristram in edit. Vidæ Oxon.

P. 207. v. 15. Dum procul a patria.—Franciscus I. cum Caroli V. copiis sub Papiæ, quam obsidebat, mœnibus, fortissime, sed infeliciter, congressus, ab iis captus est, et in Hispaniam deductus. Anno subsequenti se conditionibus, quas ab ægroto victor exegit, duris redimens, libertatem adeptus est, duobus natu majoribus filiis obsidibus servandæ fidei traditis. Hi vices fortunæ paternæ subeuntes, plus quam triennè pertulerunt exilium, cui finem imposuit pax Camaraci inita anno 1529. Id.

P. 216. v. 8. Serius.—Prope Cremam et Bergomum labitur, et (poëtæ nostri verbis utor)

> exit in alveum,
> Addua magne, tuum, et tecum in vada solvitur alti
> Eridani ———

Flumine turrigeræ radens sata culta Cereris.

Bomb. l. 2. Id.

P. 216. v. 10. Vatem cum dura jubentem.—De infelici vatis hujus Phœbigenæ exitu sic Apollodorus, Bibliothec. l. 2. "Hercules a Lino citharœdicam didicit. Is Orphei frater fuit. Qui cum Thebas commigrasset, ac Thebanorum civium numero allectus fuisset, cithara percussus ab Hercule interiit. Quod ab eo velut præceptore vapulasset, ira succensus interemit. Cui cum quidam diem dicerent, et cædis et commissi criminis postularent, ille contra Rhadamanthi legem recitaret ejusmodi, " Qui manibus injustis irritantem punierit, insons esto;" hunc in modum Hercules evasit incolumis."

P. 217. v. 21. Ah! quoties aliquis.—Exemplar extat Poeticorum, quod juvenis Vida confecit, ex quo nonnulla Tiraboschus in medium protulit. In hoc autem loco sequentia leguntur. T. 7. p. 290.

Pierides, quantum vobis invidit honorem,
Heu! quantum sors læva decus, cum vestra reliquit
Sacra puer quondam vestris Gibertus ab aris
Ereptus, jam tum ingentes qui pectore curas
Conciperet, dominoque in magnis rebus adesset.
Ah! quoties sacros lacrimans reminiscitur amnes
Infelix juvenis; saltus, secretaque vatum
Secum æger nemora, et fontes suspirat amatos;
Pana ubi cornigerum et Faunos audire canentes
Assuetus, Dryadumque ultro spectare choreas!
Quam vellet mecum gelido sub Tusculo iniquam
Pauperiemque pati, et ventos perferre nivales!
Fata vetant, durusque parens, dominique potentes.
Illum, Pierides, illum tu, pulcher Apollo,
Vester honor vobis, si vestra et munera curæ,
Sistite sub Helicone, sub aërio Parnasso,
Et juvenem ingratis tam sanctum exsolvite curis.

P. 245. v. 6. Tanta Italos inter.—Bello inter Carolum V. Cæsarem, Franciscumque I. Franciæ regem flagrante, post Leonis X. mortem, miserrime civilibus armis Italia vexabatur. Gravissimas Insubria, Neapolis, Parma et Placentia, furoris bellici miserias subibant. Nec ipsam sua sanctitas tuebatur Romam, quin et ibi, anno a partu virginis 1527, obsesso in Adriani Mausoleo Clemente VII. Pontifice, incredibili rabie, nulla vel ætatis vel sexus habita ratione, sævitum esset. Sub idem tempus Europæ imperium sollicite affectabant Turcæ, quibus aditus ad Italiæ victoriam principum dissidiis apertior est redditus. Tristr. Ed. Oxon.

P. 245. v. 19. Germano fretus Iulo.—Iuli homine intelligitur Julius Medices, qui, Adriano VI. mortuo, Pontifex creatus, Clementis VII. nomen assumpsit. Hunc tanta apud Leonem X. patruelem suum gratia valuisse refert Ciaconius, ut illo inconsulto nec quicquam moliri, nec aliquid pene mente concipere Leo ausus esset. Id.

P. 245. v. 26. In Turcas arma parantem.—Selymus, Turcarum Imperator, post ingentes in Oriente victorias, Ægypto etiam Syriaque domitis, in Christianos arma versurus videbatur. Totius igitur Europæ principes Leo per legatos vehementer cohortatus est, ut publicæ memores salutis privata deponerent odia, bellumque impotenti Barbaro viribus consociatis inferrent. Id.

JOAN. MATTHÆO GIBERTO.

P. 268. v. 15. His tu temporibus datus.—In tantum honoris fastigium evectus, quam bene de literis meruerit, vel ex hoc uno Pauli Jovii loco cognosci potest. "Et hercle nisi Gibertus literarum et virtutis amore incensus, uti erat in administratione Reipublicæ, optima ejus sæculi sorte, Clementi intimus, neguntem cuncta prædurumque principem molliendo fallendoque ad beneficentiæ decus revocasset, præclara profecta aliquot, fœcun-

daque ingenia dolore simul et pertinaci sterilitate periissent." Hist. S. T. l. 32.

NOTÆ

IN

ARCHIUM.

AD VERONICAM CORRIGIÆ DOMINAM.

P. 274. Veronica Gambara nata est anno 1485 ex nobili stirpe Brixiensi. Conjux autem fuit Giberti Corrigiæ Domini, quem unice diligebat; eoque acerba morte abrepto, tantum dolorem cepit, ut a secundis nuptiis se abstineret. Quod consilium suum ut magis innotesceret, hos Virgilianos versus in cubiculi foribus inscribendos curavit;

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulcro.

Neque propositi eam pœnituit. Doctis plerisque sui temporis viris familiariter usa est. Et jure profecto locum obtinet inter mulieres egregias ab Areosto posteris commendatas, l. 46.

Veronica da Gambara è con loro
Si grata à Febo, e al santo Aonio coro.

Toscanus, in Peplo Italiæ l. 4. eam appellat "sanctissimam doctissimamque mulierem, quæ carmina scripsit gravitate et suavitate ita condita, ut, utrum in iis superet, haud proclive sit explicare. In Epistolis vero (ait) non video cui nostrorum temporum accurato scriptori cedere debeat." Filii ejus, tali matre haud indigni, ad summos honores evecti fuerunt. Obiit anno 1550.

P. 275. v. 2. Melæ ad flumina patrii.—Mela Brixiæ fluvius est. Poemetii, quo Carolum V. laudat, hoc est initium;

Là dove più con le sue lucid' onde
Il picciol Mella le campagne infiora
De la mia patria, e che girando onora
Di verd' erbe e di fiori ambe le sponde,

Carolo quidem admodum accepta fuit; quem ex Italia redeuntem Corrigiæ hospitio excepit, et summis honoribus, omnibusque officiis coluit.

DE REDITU CLESII CARDINALIS.

P. 276. Federici, ni fallor, Clesii *(Cesi)* a Paulo III. Cardinalis facti.

P. 276. v. 18. Sarcæ.—Sarca fluvius, in montibus Tridentinis oriundus, Benacum influit. Sic Archius, l. 2. c. 23.

Quaque fluit resonans per saxa immania Sarca,
Benaci exonerandus in æquor.

P. 276. v. 21. Ferdinandi.—Romanorum regis, Caroli V. fratris.

AD CHRISTOPHORUM MADRUTIUM.

P. 277. Ortus hic Tridenti, anno 1512, Gaudentio equite nobilissimo patre, Bononiæ humanioribus literis, Patavii severioribus disciplinis est eruditus. In patriam reversus, annos natus de-

cem et octo Tridentinus et Episcopus et Princeps factus, ecclesiam illam una cum Brixiensi, quæ paulo post ejus curæ commissa est, multorum spatio annorum pie sancteque administravit. Inde a Paulo III. in patrum purpuratorum ordinem relatus anno 1544, primis Tridentini Concilii sessionibus interfuit, usque ad exitum anni 1546, quo tempore illum inter et principem Concilii præsidem Cardinalem Montium acerbissimæ illæ verborum contentiones obortæ sunt, de quibus Pallaviciaus, l. 8. c. 7. Itaque Tridento profectus, Romam Cæsaris nomine demigravit, ibique ad bellum adversus hæreticos gerendum opes ac suppetias obtinuit. Postea Maximilianum Caroli fratris filium in Hispaniam prosequutus, in Italiamque reversus, multas in Insubria res memoria dignas gessit.—Idem iterum Synodo Tridentinæ, ac deinceps Conventui Augustæ Vindelicorum Maximiliani electi Imperatoris ergo indicto, uti sacri Imperii princeps interfuit. Picentibus extremis temporibus legatus a Pio IV. datus, creditam sibi provinciam summa fide justitiaque rexit. Obiit Tiburi anno 1578, ætatis suæ 66. V. A. Constant. in Sadol. Epp. T. 3. p. 423.

AD EUNDEM.

P. 278. Huic titulo adjungi solet, *Sub persona alterius.* Equidem, cujusnam nomine scriptum sit hoc carmen, nescio. Num Vargnani? Illi quidem Hexametra quædam Archius nuncupavit, in quibus Lomassi, cujus sacerdos fuisse videtur, et Mysonis, Dallique, et Madrutii, mentio facta est.

Madruti interea nomen resonare Lomassi
Et silvas, saltusque doces, rupesque sonoras,
Mysonisque jubes summas ediscere quercus.
* * * * *
Heu facient quid flumina Dalli
Expiscata tibi toties? quid templa Lomassi
Ære novata tuo? et cumulata altaria sacris
Muneribus, nunc tersa, olim squallentia fumo?

L. 2. c. 25. Ed. Comia.

P. 279. v. 23. Arcitenens.—Ipse scilicet poeta, ab Arco sic appellatus.

AD CAPILUPOS, PRETUM, ET MARNUM.

P. 283. Tres fuerunt Capilupi fratres, Hippolytus, Camillus, et Lælius. Julius Marnus et Dionysius Pretus in poetis Mantuanis numerantur. Lælium autem Capilupum laudavit Thuanus, l. 26. " Qui tanta felicitate Maronis conterranei sui versibus detorta significatione lusit, ut Ausonii et Probæ Falconiæ, atque aliorum, qui in simili argumento se exercuerant, laudem prorsus obscuraverit, in longe diversa a Virgilii mente materia versatus; præter alios uno et altero elegantissimo centone de monachorum origine, vita, institutis, sacrorum nostrorum ritu, et de morbo Gallico, de quibus rebus nunquam Virgilio in mentem venire potuit, concinnato."

AD CAMILLUM CAPILUPUM.

P. 284. v. 14. Gonsaga.—Illustrissima gens Gonzagia, quæ Mantuæ rerum potita est, literas artesque elegantiores admodum fovebat. Quo quidem studio adeo enituit Hercules Cardinalis, Federici I. frater, ut liberalitate et magnificentia vel cum clarissimo quoque esset comparandus. Hunc et fratrem ejus in carminibus suis Archius maxima prosecutus est laude. Alii quoque erant ex eadem stirpe duo, ad quos scripsit carmina, Aloysii nomine uterque appellati. Ad quorum alterum hic locus spectare videtur. De Aloysio eo, qui famam majorem nactus est, brevi dicturi sumus.

P. 284. v. 14. Strozza.—Ludovicus Strozza, poeta Mantuanus, ex Flaminii amicis, qui eum Hendecasyllabis laudavit. l. 5. c. 20.

P. 284. v. 14. Læli.—Scilicet Capilupe.

P. 284. v. 16. Meisque Theia dicta versibus Venus.—Sic dicta ab ædificio Ducum Mantuanorum celeberrimo, quod literæ T, cujus formam habet, nomine appellatur. Hoc extruxit

Julius Romanus, a Mantuanis principibus summopere dilectus, idemque picturis ornavit, in quibus Gigantes e cœlo dejecti mira arte expressi sunt. Ad hæc pertinet Fracastorii locus, p. 118.

Si non dejectum cœlo Jovis igne Typhœa,
Terrigenasque alios, spirantia signa, videbis,
Admirans opus æterni, memorabile Juli,

P. 284. v. 17. Capriana.—Capriana haud longe a Benaco distat. Poeta in deliciis fuisse videtur. Sic eam alibi descripsit. l. 2. c. 33.

Invitant, Fruticene, Capriana
Te colles humiles, superbientes
Baccho et Pallade ————
Hic late aspicies agros patentes;
Suppositam in specula videbis alta
Veronam; modo Brixiæ superbam
Turrim, atque irriguæ Pado Cremonæ.
Hinc se Mantua pulcra dat videndam.

PROSOPOPŒIA RODOMONTIS.

P. 285. Is Ludovicus Gonzaga fuit, Sabinetæ Comes, cui ab insita virium ferocia jactantiaque Rodomontis cognomen fuit. Ejus auxilio Clemens VII. diuturna custodia liberatus est, equo Hispanico militari, quem ei Rodomontes dederat, vectus. Paul. Jov. Vit. Pomp. Colum. et Hist. l. 25. Varchi p. 119.—Uxorem duxit Elizabetham Columnam. Etrusce carmina scripsit. Archius in alio carmine eleganti, post virtutes ejus et civiles et militares laudatas, ad literarum et scientiæ studium transit. l. 1. c. 49.

Et quandoque placet gravioribus applicuisse
Intentum studiis animum, juvat alta vagari
Sidera, et immensos cœli percurrere tractus.
Nonnunquam rerum gaudes perquirere causas,
Et veterum volvis divina volumina vatum,
Ingenium ostendens cunctis versatile rebus.

P. 286. v. 13. Victoria.—Victoria Columna, Ferdinandi Francisci Davali, bellica laude clarissimi, uxor. Vid. p. 369.

P. 286. v. 15. Ut magni manes.—Flamin. p. 168.

——— flebilibus modis maritum
Extinctum decorans sepulcro ab imo
Summa decit in astra.

P. 287. v. 21. Ancon.—Eodem tempore Clemens vii Flaminio Anconem est profectus.—Eam urbem paulo ante per simultatem Turcici belli præsidio occupatam Pontificiæ ditionis fecerat, redactis in ordinem decurionibus, qui arrogantius, quam decuerat, libertatis nomen præferentes, Pontificum imperia contemnebant. Paul. Jov. Hist. l. 31. Murator. Annal. T. 14. p. 262.

P. 287. v. 23. Atri.—In oppidi obsidione, cui *Vicaro* nomen est, occisus fuisse dicitur. Id. T. 14. p. 270.

P. 288. v. 21. Meo Marcus fato atque Trivultius.—Marcus Antonius Columna, ingentis colubrinæ pila victus occubuit, eadem etiam pila discerpto, et ad latus cadente Camillo, Trivultii clarissimi Imperatoris filio, quum obequitantes in aggere hostium munitiones inspicerent.—Vir inter Italos, si ingenii ad omnia gravis et eruditi, et corporis ingentis, virilisque maxime oris dotes cum fortunæ donis computentur, militari laude dignissimus. P. Jov. M. A. Column. Elog. et Vit. Davali, l. 2.

P. 288. v. 25. Sic Medices heros gentis.—Erat profecto natus

ad Italiam pulsis externis in libertatem asserendam, si id cordi superis fuisset. Insistens namque Germanorum legionibus, nec usquam vestigiis abscedens, dum ituros ad deleudam urbem Romam perpetuis minutis prœliis demorari conaretur, multisque hostium secundum Padi aggeres trucidatis se in castra reciperet, tormento ab ulteriore Mincii ripa in incertum emisso ipse unus genu ictus est interfectus, pereuntis hercle Italiæ fato potius quam suo, quum viginti septem natus annos jam plane mitigata ardentis animi ferocia, uti sedatiora secutus consilia, præter egregii bellatoris nomen, etiam ad maturi jam et compositi imperatoris famam contendere censeretur. P. Jov. in ejus Elog.

P. 290. v. 2. Pater alme.—Clemens VII. qui paulo post diem supremum obiit.

P. 290. v. 17. Assuescat victor.—Vespasianus, Sabinetæ Dux, Rhodomontis filius, et militari gloria, et artium omnium liberalium patrocinio, clarissimus fuit. Bettinelli op. T. 11. p. 143. et Tirabosc. T. 7. p. 63.

P. 293. v. 9. Carolus Borromæus, Gilberti Aronæ comitis, et Margaritæ Mediceæ, Pii IV. sororis filius, admodum juvenis cum avunculi fortuna crevit, et in Collegium Cardinalium cooptatus, ac amplissimis sacerdotiis auctus, cum summæ rerum in altissimo orbis theatro præesset, præmatura Friderici fratris morte conditionis suæ mature admonitus, sacris illis divitiis quamprimum raro modestiæ exemplo renunciavit, et ad ecclesiam Mediolanensem, cui præfectus fuerat, superstite et multum reclamante avunculo, se contulit, et optimi pastoris officio defungens, ab eo tempore verbo Dominico et vitæ sanctimonia oves suas insigni exemplo pavit, in munere suo assiduus, contemptu rerum humanarum, divinarum desiderio, humilitate, continua corporis castigatione, caritate in omnes, indesinentibus per preces cum Deo colloquiis, supra humanæ infirmitatis modum positus. Thuan. l. 80.

Petrus etiam Victorius (l. 6. p. 129.) virtutes ejus prædicat. " Quicquid temporis e magnis gravibusque occupationibus cri-

pere potes, in sapientiæ studiis divinisque nostris litteris perscrutandis collocas, una cum doctis et probis viris, quos domi habes, legens semper aliquid nostræ institutionis proprium, ut magis adhuc personam istam, quam sustines, ornes."—Pium IV. vel hoc solum nomine de artibus liberalibus et bonis literis optime meritum esse Tiraboschius arbitrabatur, quod Borromæum in Cardinalium ordinem cooptaverit, et summis rebus præfecerit. Munificentiam quidem ejus ecclesia Mediolanensis, et multa alia ædificia testantur. Decessit anno 1584, ætatis 46.

P. 293. v. 24. Pius et Medicus.—Joannes Angelus Mediceus, Mediolanensis, e clara Mediceorum stirpe, in summam pontificiam potestatem, Pii IV. nomine, electus fuit. Severius forsan de eo judicium Thuanus fecit; qui tamen vitiis ejus commemorandis reipublicæ bene administratæ et pecuniæ liberalibus sumptibus erogatæ testimonia proferre videtur. "Eo (ait) pontifice Italiæ pax; urbi et provinciis ejus ditioni subditis quies; rerum ad vitam necessariarum copia; publica incommoda vel pauca vel nulla fuere.—Pecuniæ avidus, ut ad eam undique corradendam vel cum aliena injuria attentus, in servanda parum cautus, ut quo Pontifice HS. bis millies haustum sit, quorum tamen major pars in opera publica ac fabricas expensa est." l. 38. Paulus quoque Manutius Poetæ testimonium suo comprobavit. "Ut ordiar a rebus Romanis, id primum cognosce, tranquilla hic esse omnia, nihil turbulenti, nihil adversi. Civitas quotidie magis hoc Pontifice reviviscit; ita non modo ipse excellit justitia, pietate, beneficentia, verum etiam suos omnes, egregiæ illos quidem ad virtutem indolis, veruntamen suo etiam exemplo, quales esse debent, tales præstat. Quod in magna potestate, rerumque copia, quam non facile contingat, utinam veteribus tantum, non etiam recentibus exemplis cognitum haberemus. Multis locis ædificatur strenue. Nam Pontifex, ut præstanti animo est, antiquæ illius Romæ speciem eximiam et formam cogitatione ac mente complexus, excitari præclara monumenta, vias restitui veteres, novas muniri, aquas etiam a longinquis fontibus impensa maxima in ur-

bem duci jubet. Quæ cum erunt absoluta, nihil adspectu pulchrius, nihil magnificentius, aut etiam commodius esse poterit." l. 6. ep. 8.

AD ROMAM.

P. 296. v. 13. Sacras quas pius ædes.—Ædem illam admirabilem in Thermis Diocletiani, a Bonarotio reficiendam ornandamque curavit, Deoque sacravit Pius IV.

AD FEDERICUM PENDASIUM.

P. 301. Federicus Pendasius Mantuanus, philosophus egregius, illustrium Cardinalium, Federici Borromæi et Scipionis Gonzagæ, præceptor fuit. Quorum ille in scriptis multas ejus literas et modestiam magnam laudavit; hic vero summam in Philosophiæ studiis præstantiam, et eximiam Theologiæ cognitionem. "Id (ait) cum alias, tum præsertim in sacra Tridentinæ Synodi celebritate perspectum est, quo in loco et peracutas ipsius et pias de rebus altissimis disputationes, quas Herculis Card. Mantuani jussu publice habuerat, mirifice commendari, atque adeo in cœlum ferri ab plurimis audiverat Scipio, ex eoque illius ingenium ita admiratus erat, ut non multo post Marino Caballo V. C. ac Patavini Gymnasii moderatori auctor fieret hominis arcessendi, atque amplissimo interpretandi munere cohonestandi." Tirabosc. T. 7. p. 403.

AD BERNARDINUM TILESIUM.

P. 303. Consentiæ, quæ illi patria erat, in Calabria ultimum diem clausit Bernardinus Tilesius, qui Antonium patruum habuit, philosophicis studiis celeberrimum; ab eoque Mediolani institutus, postea Patavii majores progressus fecit, et Romam sub id tempus venit, quo urbs ab Hispanis direpta, parumque a

periculo abfuit, re omni spoliatus. Heic philosophiæ ab ipso deinceps traditæ principium fecit, quam cum viris doctissimis, ubicumque eos nancisci poterat, ingenue communicatam semper in dies locupletavit, et amicitiam multorum illius aulæ procerum ob morum candorem cum summa eruditione conjunctum promeruit, a Paulo IV. etiam Episcopatu patrio donatus, a quo ille se excusavit, et eam militiam fratri transcripsit. Ipse Consentiam reversus uxorem duxit, liberosque ex ea suscepit, qui patrem grandævum, quippe annorum 79, hoc anno (1588) extulerunt. Thuan. l. 89.

P. 304. v. 12. Gallius.—Ptolomæus Gallius, a Pio IV. Cardinalis factus.

NOTÆ

IN

BONFADIUM.

P. 307. v. 8. Sonanti flumine Clisis.—Jos. Milius Voltolina de Hortorum cultura. l. 1.

——— sonans rapido qua flumine Clisis
Gazano vicina tuo prata irrigat.———

P. 307. p. 16. Vix ipse mihi credo.—Catulli fere verba sunt, ad Benacum reducis. c. 31. v. 5.

P. 308. v. 9. Rodulpho.—Vid. not. p. 378.

NOTÆ

IN

MANUTIUM.

P. 309. v. 5. Grimoalde.—Joannes Baptista Grimaldus Bonfadii amicus fuit, ab eo in Annalibus illustri virtute juvenis dictus. Ad quem infami moriturus supplicio has literas dedit. " Mi pesa il morire, perchè non mi pare di meritar tanto; e pur m'acqueto del voler d'Iddio: e mi pesa ancora, perchè moro ingrato, non potendo render segno a tanti onorati gentiluomini, che per me hanno sudato ed angustiato, e massimamente a V. S. del grato animo mio. Le rendo con l'estremo spirito grazie infinite, e le raccomando Bonfadino mio nipote, e al Signor Domenico Grillo, ad al Signor Cipriano Pallavicino. Sepelliranno il corpo mio in S. Lorenzo; e se da quel mondo di là si potrà dar qualche amico segno senza spavento, lo farò. Restate tutti felici. Opere T. 1. p. 81.

P. 310. v. 12. Vivus ne comburatur.—In publico Catalogo eorum, qui ultimo Genuæ affecti sunt supplicio, hæc leguntur verba; " 1550, die 19 Julii Jacobus Bonfadius de Contatu Brixiæ decapitatus fuit in carceribus, et postea combustus."

P. 311. v. 9. Tu quoque in historiis.—Annalibus scilicet Genuensibus. In urbem Genuam Joannes Matthæus Toscanus hoc epigrammate invehitur.

Non minus intumuit nuper Benacus alumni
Bonfadii, ac Musis, docte Catulle, tuis.
Bis tamen infelix; rapuit nam Roma Catullum,
Bonfadium letho das, scelerate Ligur.

Historia æternum cujus, fera Genua, vivis,
Immeritum sæva lege necare potes?
Mitius est, quod te spumanti vortice marmor
Tundit, et ex scopulis durior ipsa tuis.

NOTÆ

IN

HIERONYMUM AMALTHEUM.

AD MAXIMILIANUM BOHEMIÆ REGEM.

P. 312. Ferdinandi Imperatoris filium, postea Imperatorem, Maximiliani Secundi nomine appellatum.

NOTÆ.

IN

J. BAPT. AMALTHEUM.

AD SEBASTIANUM VENERIUM.

P. 319. Prælium memorabile ad Leucadem commissum Poeta celebrat, in quo victoria penes Christianos fuit, ac præcipue Venetos, quibus Sebastianus Venerius præerat. Thuan. l. 49.

Erat in Venerio crinita oris majestas, proceritas corporis, purpureus in facie decor, quem senilis ætas nondum pallore infecerat; artuum robur ac firmitas, ut ad arma tractanda anni non essent impedimento. Huic corporis formæ vividus vigor atque ardens animus insidebat, quo imperatoria munera intrepidus obibat; quæ omnia ingentem illi auctoritatem apud milites peperverant.—Cernere erat Sebastianum Venerium, Venetæ classis imperatorem, ea ætate, galea, lorica, varioque armorum indutum genere, juvenili ausu in hostiles triremes irrumpere, allidere, disjicere, cuncta ferro atque igni demetere. Mauroceni Hist. Venet. l. 11. T. 2. p. 489.

P. 320. v. 23. Juvenem imperio insignem.—Hispanorum dux fuit Joannes Austriacus, Philippi II. frater nothus.

P. 321. v. 1. Antonius.—Magnus Antonius Columna navium Romanarum præfectus.

P. 321. v. 6. Quem duo sectati.—Hos commemorat etiam J. Ant. Taygetus in Ecloga nautica;

> Magnus Ioannes, Augusti invicta propago——
> Cui comes it Venetûm spes magna Venerius heros,
> Et Latiæ columen gentis lumenque Columna
> Magnus, et Ursini gemini, duo fulmina belli.

P. 322. v. 8. Sancte heros.—Pium V. alloquitur. Is ultimum vitæ diem clausit anno 1572, haud obscura populi lætitia, qui licentiæ assuetus austeros morosi senis mores in occulto oderat, et intolerandam liberis hominibus in inquisitionis munere exercendo severitatem detestabatur. Vitæ sanctimonia clarus fuit, cum ab avaritia, sordibus, et omni ditandorum suorum cogitatione maxime abhorreret. Thuan. l. 51.

NOTÆ

in

MURETUM.

TIBUR.

P. 326. Celeberrima Atestina villa ab Hippolyto Cardinale, Herculis II. fratre, exstructa, hoc carmine laudatur. Alibi etiam ejus meminit Poeta;

Non tulit hanc speciem divini pectoris heros
Hippolytus, sacri gloria magna chori.
Ille loco senium abstersit, vultusque priores
Reddidit, et solito jussit honore frui.
Illius imperio jussæ revirescere silvæ,
Cœperunt sparsis luxuriare comis.
Ille novos passim fontes emergere jussit;
Nec mora fit, fontes prosiluêre novi.
Quos circum statuit priscis egesta ruinis
Plurima Phidiaca signa polita manu.

"Quis unquam illo (ejusdem verba sunt) in tota ratione vivendi splendidior et magnificentior fuit? Quæ in Gallia, quæ in Italia, et quam sumptuosa ædificia exstruxit!" Nec aliter Thuanus; l. 54. "Vir (ait) elato et magnifico ingenio, quod ingentia ædificia in Gallia ab eo fabricata, et horti regali sumptu ab eo in monte Quirinali et Tibure exstructi, ad quæ visenda toto orbe etiam hodie fit concursus, ad posteritatem testantur."

AD. P. FRANCISCUM BENTIUM.

P. 328. Plautus Bentius patrimoniali Etruriæ oppido, cui Aquæ-pendenti nomen, natus, virtute et eruditione quam natalibus clarior; vir candidis moribus ac miti ingenio, magnatibus ac literatis æque gratus: qui M. Antonio Mureto nostrati opera Romæ navata, tantum Latine scribendi facultate sive versibus, sive soluta oratione valuit, ut diguissimus tanto præceptore discipulus haberetur. Postea sodalitio Jesuitico nomen dedit, et Plauti, quod parentes indiderant nomen, in Francisci mutavit; et, elegantissimis orationibus ac versibus in ea societate editis, opinionem de se conceptam superavit, hancque de se optime merito præceptori gratiam rependit, ut hominem in literis humanioribus senescentem ad studia pietatis provocaverit; quem et mortuum laudavit. Decessit Romæ fere quinquagenarius, anno 1594. Thuan. l. 109.

FINIS.

Typis, Slatter et Munday.